I. N. I.

DISSERTATIO

declarans

Hippocratis cautelam exemplo Halicarnassensis

super

VENÆ SECTIONE INTEMPESTIVA IN PHRENITIDE SEU DELIRIO FEBRILI,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO REGIÆ DOMUS PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENB. AC DUCATUS MAGDEB. GUBERNATORE,

IN REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

D. PANCRATIO Wolffen/

Med. Prof. Extraordin.

IN AUDITORIO MAJORI

D. XXVIII. Mart An. MDCCVI. horis consvetis

Eruditorum examini submittit

CHRISTIANUS HENRICUS Kirchheim/

Hallensis Magdeb.

Typis CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERI, Acad. Typ.

Seremissimi atq; Potentissimi Borussiæ Regis

ILLUSTRIS SCABINATUS

IN DUCATU MAGDEBURGICO,

DOMINIS

SENIORI, SUBSE-NIORI,

& reliquis

ASSESSORIBUS,

DOMINIS PATRONIS atq; PROMOTORIBUS OPTIMIS, MAXIMIS

Exercitium hoc Academicum

in Gratissimi animi, ſubjectiſſimæque voluntatis teſtificationem & uberiorem ſui, ſuorumq; ſtudiorum commendationem

ſubmiſſe offert
cultor ac cliens devinctiſſimus

CHRISTIAN. HENR. Kirchheim.



CHRISTO DUCE ET AUSPICE!

PROOEMIUM.



Erisſime Hippocrates *de locis in homine L. 1. Vol. I. p. 393. Medicinam cito diſcere*, inquit: *non eſt posſibile, propterea quod eſt imposſibile, ſtatam ac certam in ipſa fieri doctrinam. Medicina enim & nunc, & ſtatim, non idem facit, & ad eandem occaſionem contraria facit, hæc etiam ſibi ipſis contraria.* Nimirum medicina non in artium mechanicarum eſt numero, ſed genium refert eruditarum ſcientiarum; hinc haud ſecus ac in illis, in ſpecie vero jurisprudentia, regulæ non ſine ampliationibus & limitationibus ſeu exceptionibus ſunt addiſcendæ. Sicut enim in hac, aliisque *minima circumſtantia variat rem*; ita, docente *Coo de Præcept. XII. p. 67. minima cauſſa medelam pervertit, ſi quid circa locum affectum evenerit intempeſtive.* Veritatem horum, appoſito ſimul exemplo intempeſtivæ, in pleuritide curanda, ſanguinis misſionis præclare declarat, acerrimeque propugnat Ballon. *L. I. Epid. & Ephemer. p. 79. ſequentibus: Incredibile dictu eſt, quam multos trita vulgataq; medendi via in pleuritide perdidit; nam, audito lateris doloris nomine, ſi quis aliud, præter venæ ſectionem, tentet remedium, ἀνάθημα ἴϛω; imo quod ad dolores lateris*

 perti-

pertinet, nullus hodie non est medicus. Quanquam hic multorum carnificina & frustranea sanguinis, in quo vita sedet, eductio, spirituumq; evacuatio, magno artis vituperio, committitur, ut etiam hac una, pleuriticis medendi, via bajuli, arcularii, chirurgi castrenses ac universa mulierum garrulitas celebrium medicorum industriæ obstrepat, ac sese opponat. Imo si quis de latere queritur, quocunq; id modo fiat, ne horulæ articulo differre fas sit. At non novit imprudens mulier & impudens barbitonsor, nugigerulaq; mediastina mulier, multis ex caussis laterum dolores oriri, quibus ut venam non secare, aliquando nefastum est, sic eandem aperire crudele, impium ac ignorantiæ plenum sit. Nam nulla tam exilis est caussa, tamq; parum efficax, quæ non in latere dolorem excitet; at æquumne est, tanquam caussa sit eadem, ac idem malum, remediorum idem usurpare, omnibusq; cothurnum eundem attribuere? Quos perversos Galliæ mores cum Germani nostri non tam in pleuritide, quam phrenitide, curanda imitentur; consultius visum fuit, in hoc potius morbo acuto intempestivum sanguinis missionis auxilium, non raro tamen in eodem præstantissimum, expromere. Quo autem hac in re novitatis aut paradoxiæ suspicionem facilius declinem, magni Hippocratis censuram de hoc præmittam, quam *L. VII. Epid. LIV. 12. Vol. I. p. 874. Halicarnassensis* cujusdam exemplo proponit. *Is aurem hyeme dolebat & caput non mediocriter. Erat autem annorum circiter quinquaginta. Vena secta est secundum Mnesimachum, læsum est caput ac perfrigeratum; non enim facta est suppuratio; phreniticus factus est ac mortuus.* Quas itaque solidissimas rationes dissertatio nostra fusius persequetur; Deus T. O. T. M. veritatis omnis autor, ut eam in ipsius gloriam, reipublicæ salutem & ægrotorum solatium, ex latebris suis erutam, apprehendere ac in lucem publicam protrahere valeam, clementissima gratia sua negotio huic nostro aspiret!

CAP.

CAPUT I.

Phrenitidis genus & differentias proponit.

§. I.

HIpp. *de victu acut. III. Vol. II. p. 270.* phrenitidem in morbis acutis numerat; qua ratione illa pro praxeos commoditate definitur, quod sit febris acuta cum delirio. Riverius quidem *Prax. L. I. C. XI. f. 220.* aliam præfert, quod cerebri sit inflammatio, delirio cum continuo, febreq; acuta; sed haud rectius tum morbus hic per caussam illam suam, ne quidem universalem, definitur. Neque vero medicæ confirmant observationes eundem, cum Celso *de re medica L. III. C. XVIII. p. 148. & Willis. de anima brut. P. II. c. X. p. 426.* tradentem, quod in phrenitide quavis delirium sit continuum. Cujus contrarium potius morbi hujus testatur historia, quam verissime Hipp. *de dieb. judic. IV. 14. Vol. I. p. 434. & de int. affect. L. I. Vol. II. p. 258.* delineat. Secundum quam, *postquam æger delirare cessavit, statim ad sanam mentem redit, & si quis ipsum interroget, recte respondet, intelligitq; omnia, quæ dicuntur; deinde rursus paulo post in iisdem afflictionibus jacet.* Idem *L. I. Epid. S. II. 164. Vol. I. p. 666. Quibus non statim ab initio phrenitis cœpit circa III. aut IV. diem, sed moderate habebant primo tempore, his circa VII. morbus ad acumen transiit.*

§. II. Hujusmodi quoque historiam ob oculos ponunt Hipp. *L. III. Epid. S. III. Aegr. XIII. XIV. XV. & XVI. Vol. I. p. 740.* expresse ab eodem *phrenitici* dicti, qui tamen *insaniverunt, rursus resipuerunt, & iterum brevi desipuerunt*; quibus jungatur in Bon. *Anat. Pr. f. 170. Vir nobilis.* His ex annalibus meis practicis plures similes phreniticos addendi copia superesset. Inter alios, referente L. IV. Annal. f. 716. Anno 1694. mense Julio, Studioso, 20. circiter annorum, phrenitis atrox à capitis læsione superveniebat; nihilominus delirium in hoc haud cum prima febre incipiebat, neque continuum erat, ne quidem ultimis fere diebus; cum tamen post mortem, ut infra refe-

retur, cerebri venæ varicosæ caput ipsum gravissime affectum demonstrarent. Imo in virgine quadam & alio Studioso, de quibus pariter mox plura proferentur, delirium statim quidem in principio febri accedebat, neque id tamen continuum observabatur. Ut taceam sæpius in phreniticis resipiscentiam ipsam mortem proximam antecedere ac significare. Neque vero medicos decet, ex theoria, phrenitidum caussam continuam speculante, falsam praxin formare, sed magis ex hac, vera, contrarium docente, illa eliciatur, quod talem, proximam scilicet, non agnoscat.

§. III. Quorum phænomenon rationem hanc in cogitationibus meis medico-legalibus *de cogitatione C. V. §. II. p. 86.* exposui. Quod scilicet pars quædam spirituum animalium, ideis certis personatorum, in emporio memoriæ (corpore scilicet calloso cerebri, non cortice) commota excitataq; per viam reminiscentiæ (corpora nmirum striata) sensus communis theatro (quod thalami nervorum videntur, non tantum opticorum) per somnum maxime, oculisque conniventibus, se ingerat, ibique hoc vel illo phantasmate scenæ inserviat. Quoniam illud organon ad eundem modum lacessat & exerceat, quo quondam afficiebatur, cum sensibus ab externis, opposita via per fornicis processus, primum ad illud species sensibiles spiritus animales detulerunt. Quæ phantasmata in evigilantibus, oculisque reclusis, ac resipiscentibus statim evanescunt, non quod secundum *Cartesium Dioptr. C. V. §. XVII. vapores cessent*, sed quod fortior novus specierum sensibilium impulsus, ab externis sensibus appellentium, per illam viam majore vi intrudat. Qualis igitur illos insomniorum & deliriorum spiritus de sensorii communis theatro per viam suam reminiscentiæ, qua ad illud appulerunt, repellat. Quæ observationibus anatomicis ibidem plenius declarantur, & iisdem conferri possunt, quæ in *Willis. de an. br. P. II. c. X. p. 428.* & *Bon. Anat. pr. f. 155. leguntur.*

§. IV. Equidem illi, aliique Scriptores, phrenitidi potius delirium, seu desipientiam, generis loco assignant, febrem

brem vero acutam, magis differentiæ specificæ loco, adjungunt; sed fere res eodem recidit; phrenitis enim morbus est, æque ex febre, ac ex delirio, complicatus. Nam utut quandoque in phrenitide, primaria dicta, delirium se morbum primarium gerat; cui vero febris, tantum secnndaria, seu quasi symptomatica, superveniat: Aeque tamen in phrenitide, secundaria nominata, (ut tamen Hippocrates unice hunc morbum accipere videtur,) primaria febris & omnino essentialis antecedit, deliriumque demum sequitur. Quamobrem *Ballon. L. II. Epid. & ephem. p. 124. febris capitalis*, sicut nostratibus Haupt-Kranckheit appellari solet. Verum etiam in hac specie delirium non est nudum symptoma, cujusmodi calor p.n. appetitus prostratus, sitis vigiliæque in febribus sunt, a quibus indicatio curatoria nulla desumitur, sed potins tum symptoma hoc morbo suo capitis vestitur. Quapropter, nisi caput morbo simul suo laboret, febris, quam calidissima etiam, maximeque maligna, caput ægri delirio minus exercet, sicut hæc verissime *Will. d. an. b. l. c. p. 420. 430.* exponit.

§. V. Idem vir clarissimus quidem *p. 426.* phrenitidum hanc differentiam haud satis capit, quæ tamen usu suo practico minime destituitur. Nam in phrenitide primaria febris, velut in pleuritidibus plurimis, est secundaria, quasi vulneraria, & à deliro capitis morbo acumen ejusdem totum dependet, ut illi quasi caussæ antecedenti & continenti debeatur. Hinc etiam ab ipso magis, quam a febre indicationes curatoriæ petuntur, &, eodem expugnato, utplurimum etiam febris remittit. Qua ratione febris illa symptomatica vulgo nominatur, qualis autem accurate loquendo, ut hectica quidem febris, est neutiquam; sed æque acuta habetur, indigitante *Hipp. L. II. Prædict. XXIII. 3. Vol. I. p. 504.* Ut proinde tantum quasi symptomatica rectius appelletur; cum neque vere dicatur essentialis; alias enim minus trepanatione sola, tanquam præsentaneo auxilio, levaretur; quod tamen *Hippocr. de loc. XLIII. 4. Vol. I. p. 389. de cap. vuln. XXVII. Vol. II. p. 705. & Berengarius C. VIII. in Bon. An. Pr. f. 1558.* testantur. Quæ sane

 ad es-

ad essentialem febrem cum secundaria febre nullo modo queunt applicari. *Confer ibid. f. 163. & 1395.*

§. VI. Praeterea phrenitidis duae adhuc aliae species à medicis scriptoribus traduntur; quarum altera, cerebro primario affecto, vera & legitima nominatur; altera vero spuria, quae, cerebro tantum per consensum affecto, paraphrenitis vocari solet, sicut mox pluribus elucidabitur. Quibus differentiis plures adhuc adduntur, delirio tamen, magis ut symptomati, convenientes; Videlicet, vt aliud sit obscurum, quo etiam jam morum mutatio pertinet; aliud intra verba tantum, scilicet interspersum; quoddam mite, quoddam furiosum; quoddam cum risu aut moerore, rursus aliud magis est soporosum, quale *L. III. Epid. S. III. 71. Vol. I. p. 725.* describitur & cujusmodi etiam *Hippocr. L. IV. Epid. V. 3. p. 746. typhomania* explicatur. Quae deliriorum distinctiones quidem omnes usum suum, maxime semioticum habent; in quarum vero sufficientem declarationem longius me hic excurrere, paginarum angustia minus admittit. *Confer Bon. An Pr. f. 144. 162. 169. 172. 1598.*

CAP. II.

Causam phrenitidis proximam inquirit.

§. I.

Deliriorum caussam proximam Hippocrates indigitans, *L. VI. Epid. S. VIII. 95. Vol. I. p. 828. Melancholici*, ait; *epileptici etiam fieri solent utplurimum, et vicissim epileptici melancholici. Horum vero alterutrum magis evenit, prout ad alteram partem morbus idem inclinarit. Siquidem enim ad corpus* (non ut animae immateriali, sed ut, pro nostro quoq; Germanismo, capiti, tanquã truncus, opponitur) *fiunt epileptici; si vero ad cogitationem* (scilicet ad ejusdem officinam in cerebro, corpus callosum) *melancholici.* Allatam spinosi hujus loci expositionem seqv. idẽ de gland. *IX. 8. Vol. I. p. 429.* declarat: *Cerebrum si rodatur, turbationem multam sustinet, mensque sensu destituitur* (ἀφρονεῖ) *cerebrumque convellit totum hominem, in seipso qui vocem non edit & suffocatur: haecque*

hæcque affectio apoplexia (potius epilepsia) *vocatur. Aliquando vero acre non facit fluxionem* (in artus; ὅτε δὲ δριμὺ μὲν ὃ ποιέει τὸ ῥεῦμα) *copiosum vero in cerebrum irruens, ipsum affligit, hinc mens perturbatur & homo circumambulat, aliena cogitans & aliena videns, perferens morbi mores visis, risu & peregrinis phantasmatibus. Confer ibid. X. 14. p. 421.*

§. II. Longius jam foret, excutere, quomodo *Helmontius in tr. a sede animæ 15. p. 237. & de febr. C. VI. 18. p. 761. Item Willis. de an. brut. P. II. C. XI. p. 451.* sensum illius primi Hipp. loci genuinum non ceperint, mireque perverterint. Cum tamen eundem posterior ipse, fere quidem præter opinionem, acute imitetur. *p. 421.* Etenim, *in cerebro recte disposito,* inquit: *Spirituum animalium motus certis quasi numeris & modis, velut in tripudio peragitur; dum spiritus quidam in his tractibus cerebri suscitantur, alii contra in istis quiescunt; deinde in motu illis hi succenturiantur & singuli cujusque facultatis actus, quasi totidem in fluvio aquarum undulationes distinctæ fiunt. Verum in delirio spiritus simul omnes exiliunt, tumultuoseq; occursantes, aut varie se proripientes, velut choreas bacchantium agunt. Porro quemadmodum intra cerebri compagem hi, oestro tali perciti, cogitationes multiplices & valde perturbatas cient; ita dum extra huius confinia feruntur in originem nervosam, membrorum gestus absurdos & non raro motus convulsivos producunt.* Conferantur his etiam præclara Fontani Pedemontani scholia, raræ cuidam observationi anatomicæ adjecta, quæ legi possunt *in Bon. An. Pr. f. 1576.*

§. III. Verissime igitur acutissimus noster Thomasius *in prudentia cogitandi C. III. p. 80. & C. VII. p. 137.* ostendit, Cartesium, ejusque asseclas ens illud immateriale, tanquam cogitans, non satis clare ac distincte percepisse, uti quidem firmissime sibi persvaserunt. Neque vero secundum circulum philosophicum cohæret, quod idem *Princip. Phil. P. I. §. VIII. IX. p. 3. LIII. p. 20.* illam idearum *coagitationem mentis immaterialis, substantiæ vero corporeæ motum esse localem*, inculcet; Asseclæ tamen ipsius, & inter illos Meyssonerius, deliram cogitationis depravationem *a violento confusoque idearum motu in glandula*

dula pineali ducant. Nam qualitates intentionales & ſpiritales ab ipſis rectisſime negantur, neque ideas hujusmodi concipere licet; quod ſi vero, ut materiales, tanquam affectiones ſeu accidentia, moventur, ſubjectum materiale, idque omnino mobile, requirunt, in & cum quo moveantur. Tale autem non ipſum cerebrum, ſed ſpiritus animales præbent, non quidem pineali glandulæ incluſi, ſed corpus cerebri calloſum pervagantes; *ut in cogitationibus meis de cogitatione C.VIII. §. X. p. 101.* pro ductu anatomicorum phænomenorum & circulo philoſophico plenius expoſui. Res enim non eſt altioris indaginis, deliria brutorum in mere naturalibus automatis obſervari, anima tamen immateriali, *ut Williſ. de anima brut. P. I. C. II. p. 9.* probat, deſtitutis; in quibus vero materialis animæ muneri ſangvinem ſpiritusque animales ſufficere, argumenta *Harvei de gener. anim. exerc. LXXI.* prolata, concludunt.

§. IV. His autem animam in homine immaterialem & immortalem minime negatam volo, neque de imperio eiusdem in corpus detrahere, intendo, ſic enim ex fide chriſtiana credo. Cum vero nobilisſima ejusdem eſſentia ſenſualem intellectum noſtrum penitus fugiat, transſcendatque, ulterius de ipſa verba facere, non auſim, ſed tum reſpondeo, quæ Auguſtinus de tempore: *Quid eſt illa anima immaterialis, quis hanc ſatis explicuerit, ſi nemo à me quærit, ſcio, ſi quærenti explicare velim, eam neſcio.* Ceterum aliorum opiniones nec augurari volo, nec aucupari, nec confirmare, nec infirmare, nec condiſcere, nec convellere; niſi quatenus praxi meæ cohærent, alias ſuam cuique relinquo. Nam monente *Baglivo, vetus eſt adagium: Lapides ad filum, non filum ad lapides regere oportet.* Sic ad praxin theoria, non ad theoriam praxis dirigatur. Hoc unicum ſubjungo, ſalva aliorum exiſtimatione, pro meo captu, animæ hujus immaterialis ſimplicitati magis ſimplicem judicii operationem, quam cogitationum rationisque compoſitos nexus quadrate; ut quoque varia phænomena medica conſonare, mihi videntur.

§. V. Neque vero hactenus aſſertis obſtat, eadem in melan-

melancholiam, non vero phrenitidem convenire. Quippe, *vere Hipp. L. I. de morb. XXVIII. Vol. II. p. 33.* monente, *assimiles sunt maxime hi, qui phrenitide tenentur delirantibus à melancholia. Nam & hi, ubi sanguis ex pituita bileque corruptus fuerit, morbum habent, ac dementes fiunt, aliqui vero etiam insaniunt. Et qui phrenitide correpti sunt, eodem modo.* Eadem enim in hac, quæ in aliis deliriis, melancholicis scilicet ac maniacis, pars affecta similibus phantasmatibus vexatur, eosdem morbos cerebri observationes anatomicæ demonstrant, quin eadem occurrunt auxilia medica, nisi quatenus complicata febris indicationes variat, scilicet prohibet aut confirmat.

§. VI. Hinc deliriorum, etiam phreniticorum, hujusmodi pathologia corroboratur, (1) quod effectu pari, quo convulsiones, etiam deliria, caussas easdem sequantur, *inculcante Hipp. S. VII. aph. IX. X. XVIII. Vol. I. p. 103. Willis. de an. brut. p. 424. 429. Loss. L. III. Obs. XXXI. p. 245.* (2) Quod symptomata spasmodica, v. g. stridores dentium, singultus, subsultus musculorum, spasmique manifesti per febres phrenitica deliria antecedant, comitentur & sequantur, & utplurimum morbum vitamque simul finiant, *teste Hipp. L. I. Præd. IV. Vol. I. p. 473. Coac. I. 123. p. 528. 146. p. 529. III. 10. f. 550. L. III. Epid. S. III. Aegr. XI. p. 738. River. Instit. L. III. S. III. C. XIII. f. 116. Bon. An. Pr. f. 160. 227. 1336.* A quali morborum commutatione, firmissima conclusione, proximam inter deliria convulsionesque affinitatem caussæque communionem ducere licet. Nam *secundum Hipp. de flat. IV. 2. Vol. I. p. 401. Quidam morbi nihil inter se simile habere videntur, propter diversitatem scilicet affectorum locorum; cum tamen una sit morborum species ac caussa quoque eadem.*

§. VII. Caussam hanc deliriorum phreniticorum proximam porro confirmat, quod in cerebris ægrorum, qui mortem ex istis obierunt, sæpe nullus evidens cerebri morbus prosectoribus apparuerit; cujusmodi observationes leguntur *in Bon. An. Pr. f. 165. 166. 995. 1495. 1577. 1592.* Præsertim vero in iisdem affectus ex cruoris vitio nullus fuit deprehensus, qui quidem morbi hujus caussa solus alias accusatur; attamen

men anatomicorum oculos neutiquam fugere potuisset; ut contra, spiritus animales ac tenuissimos eorundem canaliculos vexans, qui quavis oculorum acie subtiliores agnoscuntur. Hæc enim habetur ratio, quod sæpius, a capitis læsionibus *cerebri commotio* secuta, ut *cum Bohnio de renunc. vuln.* loquar, *sine vasis alicujus ruptura & sanguinis effusione, præcipitem mortem inferat, scilicet propter tenuissimos visceris hujus canaliculos laceratos, quos tamen inspectio cadaveris nulla, imo nullæ oculorum acies discernere valet*; cujusmodi plura passim extant exempla. Ut igitur in his vulnerum lethalitas magis ex ægri symptomatibus morbique historia detegi debeat, cum prosectorum quivis eandem a priori neutiquam possit determinare. Quapropter fere mirari licet, fori observantiam difficultatem hanc unice medicorum inspectioni cadaveris imponere, neque secundum *Caroli V. constit. crimin. artic. CXLVII.* unquam curare, ut, pro excusantis negligentiæ probanda & improbanda exceptione, super eadem asstantium testimoniis ipsaque chirurgorum curandi methodo cognita, exacte simul inquiratur.

§. VIII. Maxime vero denique dictam phrenitidis caussam elucidant ejusdem deliria consensualia, quorum caussæ antecedentes in alio loco, longe dissito, latent, e. g. pede manuve, haud secus *ac Hipp. L. II. Prædict. XVI. 59. Vol. I. p. 899.* de quibusdam epilepsiis testatur. Cujusmodi deliria quoque febrilia *Hipp. L. I. Præd. XVI. 11. Vol. I. p. 481.* indigitat, dicens: *Quæ ex lumbis ad collum ac caput progressa sunt, levis siderationis modo convulsoria fiunt, mentemque emovent. Num & talia convulsione finiuntur. & de fract. XII. 11. Vol. II. p. 722.* describit, quod ex *calcanei luxatione ac læsione febres* (quasi symptomaticæ quidem & tamen) *peracutæ oboriri soleant, tremulæ, singultuosæ, mentem contingentes, paucis diebus durantes ac occidentes.* Tales quoque febres deliras refert *de Artic. XCV. p. 849. Vectiar. XVII. 7. p. 864.* quos ibid. *nervis, inter se communionem habentitibus*, deberi, verbis expressis asseverat. Quomodo *in ephemerid. Germ. Anni VI. p. 156.* delirium recensetur, ex luxatione

tibiæ,

tibiæ, cum ſudore frigido, ſine mentione tamen gangrænæ, ſubſecutum. *Confer etiam Tulp. L. I. C. XXXVI. p. 69. Bon. An. Pract. f. 1644. 1699.* Qua ratione phrenitides plures ex ventriculo propter conſenſum nervorum oriri, veriſimile eſt; quo quoque ducunt obſervationes *in Bon. An. Pr. f. 174. & 773.*

§. IX. Hoc modo, referente L. III. Annal. Pract. fol. 587. Anno 1687. menſe Majo in I. U. Licentiati Naumb. pede, cum eryſipelas gangræneſceret, in eodem ſub veſica, liveſcente aperta, nervus magnus denudatus, apparebat; ex cujus morboſo conſenſu ille, febris circiter d. XI. deliria pauca intra verba miſcebat, dieque XIV. moriebatur. Recenſente L. IV. Ann. Pr. f. 720. Anno. 1692. menſe Auguſto conſulis Naumburgenſis filiolam decennem cum horrore febris oppreſſerat, à die IV. quaſi paroxyſmus, in brachio ſiniſtro incipiens, ad caput excurrebat, illud deliriis turbabat, convulſionesque jungebat. Quæ ſymptomata, parti affectæ impoſito emplaſtro, & veſica excitata copioſum ſerum profundente, per aliquot dies ceſſabant, ſed illa rurſus exſiccata, denuo affligebant, donec ſpiritu cornu cervi copioſus ſudor promoveretur, & purpura expulſa, laudabili judicatione, totum morbum ſolveret. Ex quo tempore illam ne minimam quidem hujus mali recidivam afflixiſſe, nuper adhuc ex eadem intelligebam.

§. X. Elucet igitur, non quævis deliria conſenſualia cum febribus, quæ paraphrenitides vocant, originem ſuam diaphragmatis inflammationi debere, velut quidem cum Galeno plurimi ſcriptores medici tradunt. Quamquam vero his *Willisio ibid. p. 427.* concedam, ab inflammationibus quidem diaphragmatis non ſemper deliria vexare, ſicut is obſervationibus anatomicis confirmat; attamen illas etiam hæc aliquando ſequi, pariter obſervationes anatomicæ aperuerunt; *ut in Bon. An. Pr. f. 166. 169. 173. 438. 502.* legitur. Hujus vero ratio non ex ſpeciali diaphragmatis natura petatur, quod id intellectui, virtute Græci nominis, inſerviat, quo Proſper Martianus inclinat; verum quod eidem cum capite non ſo-

ſum conſenſus morboſus per nervos intercedat; ſed etiam quod velut ab inflammationibus aliis, haud minus jecinoris, ventriculi, lienis, inteſtinorum, imo extremorum, maxime gangrænеſcentibus, per febres, quaſi ſymptomaticas, univerſus ſanguis coagulatione corrumpatur. Qui deinde in cerebri vaſis facilius ſtagnat, illudque viſcus corrumpit, ac ſpirituum animalium generationem quam maxime confundit & ſic phrenitides producit.

CAP. III.

Cauſſas antecedentes & remotas addit.

§. I.

QVantumvis autem hactenus dicta ſpiritus animales, ut deliriorum phreniticorum cauſſam immediatam, accuſent; iisdem tamen minime repugnat, mediatam eorundem, antecedentem, magisque remotam, in ipſo cruore vitali latere. Nam, *docente Hipp. L. I. de morb. XXXVIII. 2. Vol. II. p. 33. Sanguis in homine maximam partem ad prudentiam confert*, (non quidem, ut) *aliqui dicunt, totum. Cum igitur bilis* (acida) *ſanguinem ex conſveta compage* (ſeu conſiſtentia liquida) *ac motione* (circulari mutat, ſeu) *dimovet, ſeroſum facit ac calefacit. Calefactus autem ſangis etiam reliquum corpus totum calefacit, & deſipit homo, & non ſibi conſtat præ febris copia ſanguinisque* (coagulatione atque hinc) *ad ſeroſitatem transmutatione, motioneque* (circulari) *non ſolita contingente.* Sicut etiam, *ſecundum eundem de flat. XX. 10. p. 411. infrigidato ſanguine, languidiores fiunt ejus meatus & prudentia permutatur, opinionesque peregrinæ mentem exercent, quæ ſane inſomnia nominantur* & a deliriis parum admodum differunt.

§. II. Hoc igitur modo ſangvis, in coagulationem inclinans, ad oppilationes vaſorum inferendas facillimus, (1) in arteriarum cerebri ramis majuſculis illius viſceris inflammationes gignit, quas phrenitidum cauſſas antecedentes ſatis evidenter oſtendit *Hipp. L. VII. Epid. LIII. 3. p. 874. Halicarnaſſen-*

ſis

sis ille noster, utpote qui *aurem & caput* (ex hac) *non mediocriter dolebat, hinc phreniticus factus.* Adhuc evidentius easdem demonstrat *ibid. V. Vol. I. p. 829.* atrocior phreniticus *Cydis filius, quem non solum auris dolor statim a parvo puero comitabatur, fluidus, fistulosus gravisque odoris; sed etiam circa mortem pus jam serosum album, multum negotii ad detergendum exhibebat, odoris admodum excellentis.* His Hippocratis accedit *Riverius in praxi & Berengarius L. II. de fract. cran. C. VII.* Eandem etiam abunde corroborant plures observationes anatomicæ eorum phreniticorum, in quibus post mortem inflammationes & abscessus cerebri vel ipsis oculis anatomici usurparunt, quales recenset *Bonet. in An. Pr. f. 29. 141. 156. 164. 167. 171. 172. 269. 1441.*

§. III. Neque vero hæc satis convellit *Willis. ib. p. 476. 429.* qvi, anatomica instructus avtopsia, non tam phrenitides, quam caros, ab inflammationibus cerebri secutos, testatur; cui plurimæ similes observationes aliorum quoque autorum asstipulantur, ut eas recenset *Bon. in An. Pr. fol. 139. 140. 141. 169.* Quas igitur cum æque negare haud liceat, utriusque propositionis veritas, tantum particularis, admittatur, quæ, non obstante subcontrarietate, simul vera est; adeo ut quædam inflammationes cerebri procreent sopores, quædam vero etiam phrenitides. Cujus diversitatis ratio hæc habetur, quod cerebrum organis & officinis diversis constet; iccirco pro harum diversitate alias ejusdem inflammationes hic, alias ille morbus sequatur. Deinde delirium a sopore gradibus tantum differt, quamobrem deliria *phrenitica Cous L. I. Præd. l. 6. Vol. I. p. 472. insomnia* vocat, Galenoque aliud *coma vigil ignavum est, aliud phreniticum, vide Bon. An. tr. f. 144.* Imo in iisdem ægrotis phrenitides in sopores commutantur, & contra. Quomodo, recensente L. I. Annal. Obs. XXXV. Anno 1676. uxor specularii Naumb. ex dysenteria, tum epidemica, sensim reconvaluerat, verum ex terrore mense decembri febre acuta opprimebatur, delirio, surditate ac hinc, cum oculis semiapertis, caro comitantibus, unde d. XIV. usque ad XVII. post atrocem furorem, copiosum sanguinem congrumatum exscreabat & sic reconvalescebat.

§. IV. (2) Obstructionibus cerebri arteriolas capillares obsidentibus, etiam erysipelata phrenitides inferunt, quæ deinde vel in ipso capite foras vertuntur, cujusmodi historiam *Loss. L. I. Obs. XXV. p. 69.* profert, aut per criticam metastasin, adhuc magis laudabilem, in extremum quoddam e.g. crus aut brachium ablegantur. Quomodo *Sennert. Instit. L. II. P. I. C. XII. p. 206.* scribit, *quendam in arthritidis principio, antequam materia fuerit ad articulos protrusa, in gravissimum incidisse delirium.* Aut etiam erysipelas, in pede, alibive post criticam eruptionem maligne recurrens, cerebrumque occupans, funestarum phrenitidum subinde caussa evadit, *Bonet. An. Pr.* observationibus anatomicis *f. 160. & 365. & Wisemanni Chirurg. Book.* I. *Chap. VI. Obs. VI. f. 40.* illud evidentissime demonstrantibus.

§. V. Parili etiam modo, recensente L. IV. Annal. f. 216. Anno 1681. mense Novembri fullonis Naumb. filia 12. annorum I. die horruerat, d. II. cum acuto calore delire nugabatur, d. III. ferociter delirabat, in fronte macula rubra erumpente, d. IV. adhuc per vespertinam exacerbationem delirabat, donec d. V. aurem maxillamque totam magnus tumor purpureus inflare cœpisset. ibid. f. 49. Eodem anno Camerarii Naumb. filia 24. ann. horrore caloreque acuto correpta cum ignorantia delirabat, de serpentibus, ipsam infestantibus, nugabatur, & cognatam quandam, nuper mortuam, manibus ejusdem mortem indidisse, simulque promisisse, fore, ut se matremque propediem abriperet; quod tamen utrumque fallebat. Quantumvis autem illud delirium de die subinde intermitteret, attamen post iteratam quoq; venæ sectionem repetebat, donec erysipelas in pede altero erumpens delirium febremque solveret.

§. VI. Sæpius autem (3) phrenitides obstructionibus cerebri debentur, venas ejusdem, & inprimis sinus duræ matris, occupantibus & hyperemeton venarum procreantibus, quem *Hipp. L. II. de morb. IV. Vol. II. p. 37. describit.* In eodem varicosæ cerebri venæ copioso sangvine replentur atque distenduntur, ut duplo crassiores, quam in statu naturali, appareant.

Hunc

Hunc *Willis de anim. brut. P.* II. *C.* II. apposite delineat in *juvene*, cui ex *duarum septimanarum gravissimo capitis dolore febris aucta motus convulsivos deliramque convulsionem, &, venæ sectione ac enematis nihil proficientibus, ipsam mortem tulerat. Calvaria hujus aperta, vasa, meninges obducentia, sanguine repleta & plurimum distenta erant, quasique cruoris massa illuc tota confluxerat, ita ut sinubus dissectis, cruor affatim erumpens, ad plures uncias supra libræ ℔ pondus effluxerit. Integumentis sublatis, cerebri anfractus omnes ejusque ventriculi aqua limpida erant pleni, ejusque substantia, utpote nimis irrigata, madida erat, minusque firma.* Similes observationes plures anatomicæ phreniticorum leguntur *in Bon. An. Pr. f. 6. 12. 42. 134. 142. 149. 168. 169. 170. 175.* Sic quoque in studioso illo, cujus supra mentio fit, cranio quidem nondum penitus remoto, & matre dura inviolata, pauca seri cruenti cochlearia profluebant; sed neque membranæ, neque viscus ipsum minimum inflammationis vestigium exhibebant, sinus vero venæque cerebri copioso cruore tumebant, totaque cerebri substantia madebat.

§. VII. Verum neque hyperemetos ille venarum cerebri varicosus, neque inflammationes, aliusve cruoris in cerebro morbus deliriorum phreniticorum caussæ proximæ loco concipi possunt, ob eam potissimum rationem, quod eadem phænomena æque in aliis affectibus, & quod notatu dignum est, in iis, qui frigidi pro communi veterum opinione, creduntur, observari consveverint e.g. apoplexia, paralysi, soporibus & convulsionibus, indigitante etiam *Hippocrate de Vict. acut. XXVII. 15. XXVIII. 1. vol. II. p. 299. 300.* Quæ plurimis observationibus recentiorum *in Bon. Anat. Pr.* confirmantur; similem recenset L. IV. Annal. Pr. f. 571. de fullonis Naumburgensis filia quinquenni, quæ anno 1697. mense Januar. acerbissimo capitis dolore vexari cœperat, cum antea saltem noctu, propter decubitum denegatum ferociter expavescens, ægrotasset, superveniente per somnum stridore dentium, cum oculis torvis & corporis colliquatione. Mense Aprili, malo ingravescente, carus cum ignorantia & aphonia, imo fere anæsthesia, sequebatur,

batur, denique à IV. die ante mortem, caput particulari, calido tamen & copiosissimo, sudore madebat, qui demum ipso mortis die frigidus evadebat. Cadavere aperto, vasa encephali, præter naturam triplo crassiora, plurimoq; sanguine repleta reperiebantur; epar dextrum & sinistrum hypochondrium æqualiter complens, ventriculum parvum in hujus angustias depresserat.

§. VIII. Rectissime vero *Hipp. c. l. L. I. de morb.* phrenitidem magis ex sanguinis incipiente coagulatione & congelascentia quadam ducit, utpote ex qua & hinc subsequentibus obstructionibus, tam *de vict. acut. XXIX. 2. Vol. II. p. 300.* exemplo anginæ, inflammationes, quam *ibid. XXVII. 1. p. 299. & XXVIII. 2. p. 300. & de morbo sacro VIII. & IX. Vol. II. p. 334.* hyperemetos suos cerebri exponit. Neque offendat aut fallat, quod idem ibid. bilem horum malorum caussam incuset, sicut etiam *de judic.* III. IV. *Vol.* I. *p. 433. & de intern. affect. L. I. Vol. II. p. 258.* eandem arguit. Bilis enim ipsi est duplex, nimirum amara quidem alcalinaque, epatica, quæ sanguinis coagulationem magis inhibet ac ejusdem fermentationem promovet; sed etiam acida, contrariæ potius virtutis; quam vero hic potius coagulatio juncta & perfrigeratio sibi convenientem agnoscunt. *Confer. L. II. de morb. VI. 5. Vol. II. p. 40. de vict. acut. XXVIII. 21. p. 292. XXIX. 8. p. 293. Sennert. de Scorb. p. 564. Tom. VII. Obs. Hallens. III. §. IV. p. 55. & seqq.* ubi simul phreniticis perfrigerationem frequentissimam, ejusque caussam bilem acidam esse, fusius explanavi. *Nam qui noverit,* inquit *Salius: qua ratione sanguis extra venas concrescat, poterit easdem caussas ad sanguinem, intra venas existentem, aptando, rem ipsam declarare.*

§. IX. Sicut igitur optime *Baglivius L. II. Pr. M. C. IX. §. XI. p. 231.* cerebri venarum hyperemeton in *apoplexia sanguinea cursu ab impedito humoris sanguinei spirituosi* derivat: ita verosimilius æque in phrenitide origo ejusdem hinc duci posse videtur, quam quod caussam ejus proximam *L. I. Pr. C. IX. S. IV. p. 63. 64. C.* XIII. §. I. *p. 112. de vesic.* II. *p. 82.* proponat, *sanguinis nimium effervescentis inflammati atq; irritati calorem, quo caput petat, præ-*

ceps in illud ruat & impellatur. Quo quidem etiam *Willis. de an. brut. P.* II. *C.* II. *p. 286. C. X. p. 422. 430. 433. & Sydenh. de morb. acut. S.* III. *C.* II. *p. 211.* inclinant. Etenim ſanguis copioſus caput petat, per arterias ad illud impellatur, ſane, meatibus per vaſa patentibus, æque copioſe per venas refluet, nec in illis cumulabitur aut ſtagnabit, ut aut inflammationes, aut hyperemetos venarum cerebri varicoſos procreare valeat, & eo ipſo phrenitidis cauſſa evadere.

§. X. Sunt autem in his vaſorum obſtructiones eo minus negandæ, cum easdem Coiterus & Severinus *de abſceſſ. in Bon. f. 380. 381. 383. 1575.* ipſis oculis in ſectione cadaverum uſurpatas, demonſtrent, neque minus *Harderus in apiario p. 222.* hoc modo eas teſtatur. Quinimo ipſe *Baglivus in experim. anat. p. 117. in cerebro,* quondam de republica medica meritisſimi Malpighii juxta hyperemeton varicoſum *ſanguinem coagulatum* à ſe deprehenſum fuiſſe, confitetur. Quamobrem Hippocrates eo facilius fidem merebitur, *L. II. de morb.* IV. *23. Vol.* II. *p. 38.* affirmans: *ſi quis manum aut caput ægri hyperemeton hunc patientis, incidat, ſanguinem nigrum, turbatum & morboſum profluere, qui ne quidem ſanguis nominari juſte mereatur.* Nihilominus hic obſervetur, quod verisſime acutisſimus ille Italus *de Tarant. C. X. p. 41.* ſanguinis coagulationem diſtinguat *in univerſalem febrium malignarum & particularem alicujus viſceris e. g. in apoplexia cerebri.* Quæ curioſa differentia pariter in phrenitide locum habet, ita ut aliquando tantum particularis ſit, nonnunquam huic etiam univerſalis jungatur. Quæ res ſolidisſimum jacit fundamentum, in hoc morbo ſanguinis misſiones tempeſtivas & intempeſtivas diſtinguendi, ſicut infra hæc fuſius dilucidabuntur.

§. XI. Ordo jam quidem poſceret, cauſſas procatarcticas & occaſionales phrenitidis huic pathologiæ Hippocraticæ per conſonantiam adaptare. Neque minus res poſtulare videtur, ut ex ſemioticæ fontibus, ſcilicet ſymptomatum ſolito concurſu, pulſu & urina, ſecundum regulas logico-medicas, incomparabili acumine ac dexteritate à Baglivo in praxi medica

dica exornatas, firmitatem ipsi completam conciliare. Quomodo per signa declarare liceret, quando motus naturæ febrilis in se quidem laudabilis symptomaticus excederet, aut quando spontaneus sufficeret aut etiam minor, quam debeat, foret adjuvandus. Num scilicet, ut *cum eodem* L.II.*Pr.C.X.* §.VI.*p.239.* loqvar, *sanguis tanto motu præditus sit* in hoc vel illo ægroto, *quantq requiratur ad despumationes præcipitationesque materiæ morbosæ* (coctiones scilicet ac evacuationes criticas Hippocrati dictas) *tempore suo peragendas, per vias naturæ accommodatas, sudorem, urinam & secessum.* Etenim cui bono secundum *Sydenham. de morb. ac. S. I. C. IV. p. 31. & Bagl. l. c. p. 240. C. IX. §. V. p. 233. C. XII. §. IV. p. 255.* hoc in momento prudentia medica, tota febribus medendi, collocatur; signa vero prætermittuntur, quibus occasio præceps auxilii cujusdam tempestivi aut intempestivi dignoscitur.

§. XII. Haud minoris quoque utilitatis foret, Baglivo *etiam L.* II. *Pr. Med. C. IX.* §. *V. p. 218.* innuente *per acutam prognosin, mox in principio, secundum aphorismos Hipp. prævidere, sub qua remotissima minima* & adhuc vulgo insensili specie delirium jam illudat, perfrigerationes ac convulsiones portendantur, quo naturæ, adhuc tantis malis pari, medicus in tempore succurrens, morbos illos in tenerrima herba sua mox opprimat & eradicet. Hac ratione tanquam e specula is prospiciet, sangvinis motum febrilem parem aut imparem fore, moxq; in febris principio dignoscet, num sangvinismissiones utiles sint aut necessariæ; an vero nullus tum locus iisdẽ concedatur. Sæpius enim posthæc occasio calva. Verum enimvero quantumvis hæc singula dilucidandi copia jam in promptu sit, attamen cum horum omnium difficultates longius omnino se diffundant, quam ut, imposita mihi, dissertationis hujus angustia admittat, ad aliam hæc jam sunt reservanda, quam de sudorum in phrenitide crisi per diaphoretica imitanda, si Deus vitam & sanitatem dederit, apud animum meum elucubrare decrevi.

CAPUT IV.

Indicationes venæ sectionis in phrenitide tempestivas excutit.

§. I.

REctissime Baglivus *de Tarant. C. VII. p. 25.* inculcat, *tarantulinum, ac malignarum æque febrium, venenum præcipuam sedem in liquido nervorum, seu spiritibus animalibus, figere, non tamen antecedentem ipsius sangvinis indispositionem excludendo.* Quæ pathologia, ut præcedentia exponunt, in phrenitidem eo magis convenit, quod in ea delirio febris simul acuta jungatur; quam non solum cruoris diathesi præternaturali, sed æque ac fortasse magis, spirituum animalium p. n. confusioni & perturbationi semper deberi, quæ evincant, argumenta plura mihi suppetunt; His etenim potius archei Helmontiani sparta deferenda videtur. Quo fundamento posito, indicationes phrenitidis sunt eædem fere, quas convulsiones ac epilepsiæ sibi vindicant; harumque primaria efflagitat, ut spirituum animalium violentus confususque motus sedetur & ipsi a deturpatione copulaque hostili purgentur; cui præ aliis sulphura sedativa mineralium, à Paracelso & Helmontio digne laudata, quævisque antispasmodica satisfaciunt. Secundaria vero phrenitidis indicatio postulat, ut cruori circulus suus naturalis conservetur, restituatur, & ab obstructionibus coagulationibusque omnibus, tam particularibus, quam etiam universalibus liberetur, à qua venæ sectio in phrenitide partim indicatur, partim prohibetur. Cum vero dissertatio hæc nostra, tanquam pensum suum conficiendum, tantum venæ sectionis auxilium susceperit, aliis missis, illi negotio me mox accingam.

§. II. Ne igitur hoc auxilium, subinde nobilissimum, penitus in phrenitide, à me, ut Helmontiano præjudicio deluso, rejici videatur, simul quasi objectionis loco, illius usus tempestivus & indicationes jam comode præmittentur. Quando autem supra demonstratum fuit, deliriorum phreniticorum caussas antecedentes esse vasorum sangniferorum obstructiones, &

 ab

ab his oriundas, partim inflammationes, quæ alias etiam pleuritides, peripneumonias anginasque caussantur, partim hyperemetos cerebri varicosos, qui alias quoque capitis dolores, sopores, epilepsias, apoplexias, paralysesque inferunt, ab his singulis validissimum analogismum ducere, & eodem de phrenitide argumentari licebit: In quibus autem omnibus, ut & in deliriis febrilibus venæ sectiones utiles ac subinde necessarias esse, & recentium summorum medicorum observationes testantur, & ipse Hippocrates fatetur, ac ejusdem ægroti loqvuntur; inter quos maxime notabilis est *L.* III. *S.* III. *Aegr.* VIII. *Vol. I. p. 735. Anaxion* pleuriticus, *qui VI. die delirus erat, VII. dolorose habebat, VIII. cubiti vena secta sangvis effluebat multus, velut debebat*, neque ulterius delirasse, sed tandem convaluisse legitur.

§. III. Hippocrates deinde ipse *de arte XXII. Vol. I. p. 13. naturam ipsam, stimulatam & impulsam, artis peritis facienda demonstrare*, docet, ut igitur evacuationes criticas, spontaneas & laudabiles, medicus auxiliis suis maxime debeat imitari, monente etiam *S. I. aph. II. Vol. I. p. 68.* Quidni ergo is etiam in phrenitide criticas hæmorrhagias missione sangvinis æmuletur? quas iterum atque iterum maxime salutares in genere in omnibus febribus idem prædicat, *S. IV. aph. LXXIV. Vol. I. p. 90. de Humor. XI. p. 327. de Iudic. X. 4. p. 445. L. VI. Epid. S. IV. 3. p. 807. item de Iudic. XI. 2. p. 445. Coac. I. 213. p. 533.* Præsertim vero in variis capitis affectibus doloribus, vertigine, convulsionibus, ipsis auris doloribus (sicut in ipso Halicarnassensi, inflammationem internam significantibus) has crises proficuas testatur *Coac.* II. *58. 69. p. 538. L. IV. Epidem.* XVII. *p. 754.* quinimo in ipsis deliriis febrilibus & phrenitide, ipsamque minante, surditate eas salutares declarat *de Judic. XI. 11. p. 486. Coac I. 170. p. 530. 184. p. 531.* II. *70. p. 538. 103. p. 540.* Quibus aphorismis etiam varii ejusdem ægroti respondent *e.g. L.* I. *Epid. S.* III. *Aegr.* VII. *Vol.* I. *p. 679. Meto. L.* III. *Epid. S.* III. *Aegr.* VII. *p. 734. IX. p. 736. Heropythus. Aegr.* XII. *pag. 738.* illud monstrum criticum *virginis in Larissa. L.* VI. *Epid. S. VI. 39. pag. 813. Plinthius.*

§. IV. Hippocrates igitur *de Vict. acut.* XXXVII. *Vol.* II. *p.*

299. & L II. *8. p. 311.* ubi hoc auxilium venæ sectionis commendat, ejus *rationem inire* jubet *juxta ægroti habitum*, si scilicet plethoricus & crassus is sit. Qualem *S.* I. *aph.* III. *Vol.* I. *pag. 68.* *ad summum progressum, neque tarde solvendum esse* præcipit, quod commodissime fit sanguinis missione & venæ sectione. Signis hujus ibidem jungit *colorem*, sc. rubicundum & maxime faciei, utpote, propter plethoram, quoque hæmorrhagias laudabiles significantem. Nam *secundum L.* VI. *Epid. S. VI 34. Vol.* I. *p. 813.* *Quibus sanguis multus fluit e naribus, qui quidem nullos colores habent, his parum prodest. Quibus vero colores rubicundi, non similiter. Et quibus capita sunt, quæ facile tolerant, prodest; quibus secus non. Confer his L.* I. *Præd. XX. Vol.* I. *p. 483. L.* II. *Prædict.* XXXVI. *5. p. 515. XL. 9. p. 517. Coac. I. 110. p. 528. 180. 184. p. 531. L.* IV. *Epid.* XVII. *11. p. 754. L. VI. Epid. S.* II. *28.* p. *800.* Quo casu secundum *L.* II. *Epid. S.* I. *56. Vol.* I. p. *688.* *Sanguinis eruptiones largæ ex naribus plerumque liberant, velut Heragoræ, quod medici non animadverterunt.* Duobus vero his plethoræ signis plura adhuc addantur sc. venarum turgescentia, ætas commoda, victus largus, præsertim potationes vini aut cerevisiarum crassarum.

§. IV. Quorum ergo autem adiicitur, sicut in universa medicina, ita quoq; in semiotica & hic unici signi, tanquam testis singularis, nullum esse pondus, sed votorum quasi pluralitatem concludere. Quomodo, monente Hippocrate, *Coac.* II. *112.* p. *540.* *circa faciem color bonus* non semper plethoram, sed subinde *stercora vetusta subesse*, significat. E contrario pulsus quidem fortis etiam plethoræ signis annumeratur, nihilominus, ceteris paribus, is debilis haud raro plethoræ majus est signum; quando scilicet arteriæ adeo sangvine turgent, ut, circulatione lentiori, pulsus vix micent. Qui casus alias virium oppressarum vocari solent, quod, venæ sectione cruore superfluo dempto, arteriæ facilius & liberius micent, pulsusque exurgat, quod circulatio vegetior & vividior evadat. Horum exemplum luculentum affert *Bonet. in An. Pract. f. 467.* & observationibus anatomicis confirmat *f. 652. 674.* Exemplo simili rem hanc quondam anno 1675. mense Februario mihi declarabat Xendochii

 Cizensis

Cizensis famulus rusticus, 30. circiter annorum, cui, pleuritide dorsali laboranti, recensente L.I. Ann.Pr.Obs.V. à venæ sectione d. VII. pulsus & venæ in manibus magis resurgebant, & sudor, antea nullis medicamentis provocandus, juxta euphoriam & dolorum levamen, crisin salutarem & perfectam d. XI. ferebat.

§. VI. In hujusmodi ergo plethoræ casibus, haud minus phrenitide ægros vexante, missio sanguinis, & ea quidem larga, non utilis solum, sed & necessaria habetur. Primum enim propter vasorum nimiam plenitudinem, motus sanguinis internus, fermentationi analogus, inhibetur, neque sanguinis hinc acor temperari & coqui, neque coagulatio vinci & resolvi valet. Qui motus fermentativus cum omnium crisium autor merito a *Bagl. L. II. Pr. C. XII. §. I. p. 252.* & a *Sydenham. de morb. acut. S. I. C. IV. p. 27. 29.* agnoscatur, is, cohibitus, secretionem fæcum quasi suarum febrilium denegat, unde crudi humores non concoqui, neque sudores laudabiles critici promoveri possunt. Haud secus ac liquores fermentantes omnes, arctiore spatio coërciti, fermentationem suam neque absolvere, neque acorem exuere, neque fæces suas deponere, neque limpiditatem sibi conciliare valent; cujusmodi phænomena in crudis turbatis urinis, subjugalibus alias dictis, sæpius phreniticorum, ut & Halicarnassensis, observari solent.

§. VII. Eo minus autem motus hic cruoris fermentativus laudabiliter perficitur, quod propter vasorum plenitudinem, simul ejusdem progressivus motus circularis, illum quam maxime ac potissimum promovens, sufflaminetur; a quo, difficiliore tardioreque, etiam ejusdem congelascentia non imminuitur, sed increscit. Etenim, *docente Hipp. de flat. XX. 10. Vol. I. p. 411.* propter *langvidiores ejusdem meatus sanguis infrigidatur* & coagulatur; sicut per somni phænomena pariter *Willis. de an. brut. P. I. C. XVI.* p. *229.* pluribus declarat. E contrario *Hipp. L. II. de diat. XLV. 15. Vol. I. p. 238. Calefacto*, inquit, *sanguine, celerem circuitum, faciunt ea, quæ in corpore fiunt, & tum reliquum corpus purgatur præ spiritu, tum quod compactum est, calescens attenuatur; atque simul*

ex

ex carne foras sub cutem extruditur, atque hoc sudor calidus vocatur. Hoc autem excreto, & sanguis in naturalem statum restituitur, & febris remittit, & lassitudo sedatur, maxime tertia die; quæ crisis, etiamsi tum febris principium haud excedat, attamen laudabilis & salutaris habetur.

§. VIII. Remissioris autem circulationis caussa fit plethora, quod revera secundum *Cartesium Princip. Phil. P. II. §. XXXIII. p. 50. In omni motu,* cæteris scilicet paribus, *fit circulus;* verum hinc motus nullus sine vacuo quodam peragi potest, non quidem ut id omnino tale, secundum ejusdem strictiorem acceptionem sit, sed modo corpore similiter solido duroque vacuum. Nam circulus totus (sicut eandem *Tattingh. Cl. Phil. Nat. p. 125.* apposito schemate bene dilucidat) si, plenus globulis suis, non vacuum quoddam concedat, omnes necessario motus excludit. Hinc etiam si globuli plurimi una serie ponantur, ut eorundem nulli extra cancellos suos decedendi, locus pateat, ultimis autem a tergo firmus obex ponatur, motus certe omnis sistitur. Ob eandem rationem si, mole qvadam opposita, lapsus aquarum præcludatur, rapida quoque flumina stagnant, & minimo sono labuntur. Hanc analogiam sangvinis etiam circulus imitatur per sua vasa; quibus adeo repletis, ut cruoris globus alter alterum vix in vacuum locum trudere possit; ille necessario stagnat, ejusdemque flumen longe lentius fertur. Accedit, quod arteriarum εὐτονία repletione nimia labefactetur, motus spiralis arteriarum pervertatur, exindeque cordis & arteriarum systole debiliorem quoque pulsus diastolen edat; superabundante vero cruoris quantitate, venæ sectione depleta, sangvini quoque melior, circulus restituatur.

§. IX. (2) Hippocrates passim, ut supra mentio fit, venæ sectionem in morbis à vasorum sangvineorum oppilationibus, hyperemetis cerebri varicosis & inflammationibus, maximi facit; & revera hoc auxilio is vix, aut rarius, propter febres ipsas, quam potius in iisdem, propter inflammationes junctas, caute utitur. Quantumvis autem fere Helmontio concedam, propter easdem solas non semper necessarias esse

san-

sangvinis missiones, ut, illis tum omissis, artis suæ solœcismũ medicus committat, sæpius tamen easdem in illis utiles esse, pleuritides, peripnevmoniæ anginæque medicam praxin meam luculenter docuerunt; ut haud raro una, aut semel iterata, venæ sectio non solum lateris dolorem levaverit, sed junctam quoqve febrim simul jugulaverit. Qvamobrem in phrenitide, pariter utplurimum ab his ipsis caussis oriunda, sangvinis missio tempestiva optimum utilitatis fructum præbere valet. Quod vero non usu venit ob illam magis rationem, quod hoc auxilium plethoram modo imminuat, aut nimiam sanguinis incalescentiam, rarefactionem & fermentationem compescat, quo *Bagliv. L. I. Pr. C. XV. S. III. §. IV. pap. 222.* cum aliis inclinat; qua posteriori ratione, potius coagulationem promovendo, noceret, ut ipse *L. I. Pr. C. IX. S. I. p. 56.* fatetur. Sed sanguinis missio, revellendo, vasorum oppilationes, easque inferentia coagula, quoque propellit; quibus expulsis, sanguis, pone illas stagnans, circulationi redditur, qua deinde coagulatione sua liberatur, ut idem *L. II. Pr. C. IX. S. III. p. 227.* acute proponit.

§. X. Videlicet corporum motus localis celeritas atque vis ab occursu aut quiete obstantium determinatur & sæpius infringitur, ut ejusdem regulæ à *Cartesio Princip. Phil. P. II. § XLV. p. 59.* explanatæ, docent. Qua ratione globus elisus, quando impetum suum in alterum facit, cujus tergum alii plures roborant, leviter eundem saltem movet, difficiliusq; ac sæpe vix promovet, quod motum suum in singulos sequentes dividat; Econtrario is longe facilius & violentius alium globum projicit, cujus tergum prorsus est nudum. Sic quoque flumina (quorum, ut liquorum quorumvis, minimæ particulæ non continuæ sunt, sed tantum ut contiguæ aggregantur) altissima minimo sono labuntur; quorum vero lapsus præceps est, violentia sua quævis obvia pervertunt & abripiunt. Quoniam in his antecedentes globuli contiguitate sua haud obstant, & sic locum, simili corpore vacuum, præbent; at secus in illis undæ undas, globique globos trudunt,

dunt, & sequentes in prægressos, quasi obstantes, motum & vim suam dividunt, quanta igitur iisdem detrahitur. Eodem modo aeris motus in athmosphæra sua sæpe minimus est, ut sensibus effectu nullo se prodat; verum qvanta violentia idem motum exercet, ut homines secum abripiat obstantes, quando in vas, antlia pnevmatica aere, non tamen omnino, evacuatum, epistomio recluso, rursus influit; aer enim sicut aliorum corporum motibus, ita magis sibi ipsi, resistit.

§. XI. Simili modo inflammationum & hyperemetorum obstructiones sanguinis missione solvuntur, non tantum plethoram minuendo, febrilemque æstum temperando; sed potius quod ex vena quadam sanguine sic depleto, proximus hujus vacuum suppleat, quod tandem in illum locum continua serie pergit, quem oppilationis obstaculum & coagulum obsidet. Cujus igitur tergum cum hoc modo non amplius cruore antecedente roboretur, sed denudetur, pone ipsum sequens, & cumulatus, fortiorique arteriæ systole adjutus, illud longe majori, ac tum sufficiente, vi propellere, sicque circulationi reddere valet; unde, stagnatione sublata, facilius resolvitur, tenuiores particulæ sylvestres sudoribus eliminantur, crassiores vero per urinam excernuntur, cujus sedimentum tum crisi laudabili cinabarinum, obscuriusve rubrum exhibent. Qua ratione auxilium hoc pleuriticos dolores utplurimum, & phreniticos ac paraplecticos hyperemos subinde levare solet, non primario febrem ejusque calorem deprimendo, sed obstructiones reserando; quocirca secundum Hipp. *Coac. III. 343. p. 570.* in illis intempestiva venæ sectio haud raro lædit, *ut ægri putantes se melius habere, moriantur*, velut ad oculum demonstrant observationes in *Bon. An. Pr. f. 1. 6. 42. 506. 1445. confer etiam ibid. f. 516. 568. 1446.*

§. XII. Quapropter venæ sectio magis locum habet in phrenitide primaria, quam febris quasi symptomatica comitatur, quam in secundaria cum febre essentiali. Etenim, quantumvis in illa febris non nudum sit symptoma, sicut in febribus hecticis, sed jam illa corruptio sanguinis massæ toti communi-

municari cœperit, unde morbus acutus ejusdem circulationem turbet; febres tamen tales ab obſtructione, cruoris ſtagnatione, inflammationibus & hyperemetis cerebri, tanquam morbo primario & fere cauſſa continente dependent, ut eodem ſublato, maxime in principio, utplurimmum mox tollantur. Quomodo *Hipp. L. I. Epid. S. III. Aegr. VI. Vol. I. p. 678. Cleonactidi*, quem, *caput ab initio dolentem, febris corripiebat erroneo modo, ſanguis ex utrisque naribus erumpere cœpit usque ad judicationem & L. II. de morb. XVI. Vol. II. p. 48.* in ſimili capitis dolore & febre ſangvinis misſio commendatur: Haud minus idem *L. II. Epid. S. V. 13. p. 706. In capitis læſionibus, ſi ejusdem os fuerit confractum, venas ſecare*, jubet. Etenim vix dici poteſt, quantum venæ ſectio tempeſtiva capitis dolores, a ſinuum cerebri obſtructionibus oriundos, & utplurimum phrenitidum harum prodromos, levet ſolvatq;. Adeoque, ceteris paribus, capite graviter læſo, omiſſa venæ ſectio negligentiam inferre videtur, quæ alias homicidium, vulneris non lethalis excuſatione, defendit, præſertim cum tum, docente *Wepfero de aplex. p. 223.* tempeſtive adhibita, trepanationem ſupplere poſſit. Quanquam, ſi ſangvis, ut ille quidem docet, vere ſit extravaſatus, de hoc dubitem; talis enim vix in vaſa reſorbetur, oſtendentibus id obſervationibus *in Bon. An. Pr. f. 1560 1565. & Loſſ. L. I. Obſ. I. p. 2.*

§. XIII. (3) Indicationes in praxi medica offenduntur ſanguinis miſſionem urgentes, quæ auxilium hoc etiam cum temeritate quadam in uſum trahendum non tantum admittunt, ſed penitus imponunt. Nam *Celſo L. III. C. XVIII. p. 150.* inculcante, *multa in præcipiti periculo recte fiunt, alias omittenda.* & *Riolanus enchirid. L. III. C. IV.* hortatur medicos, *ut tum dubiam ſalutem certa deſperatione potiorem habeant, cum ſatius ſit anceps experiri remedium, quam nullum, ubi nulla ſpes ſalutis ſit, niſi ex machina DEus affulſerit.* Haud minus *Marchett. Obſ. Chir. XIV.* monet, *cum alioqui nullo adhibito remedio cita mors immineat, præſtare, ex Celſo, anceps experiri remedium, quam nullum, impiumque eſſe, ægrum, remediis deſtitutum, relinquere.* Quales indicationes ſangvinis miſſio-

missionis nonnunquam, etiamsi non propter ipsam phrenitidem, tamen eadem comitante, aut timenda, occurrunt, ut ea, metu, alias certissime imminentis, mortis periculi urgeatur, utpote quæ illam omissam non potest non sequi. Adeoque quantumvis alia prohibentia e contrario ejusdem usui reclament, spemque juvaminis tantum admodum dubiam relinquant; attamen horum ratio ab indubitabili desperatione vincitur & præponderatur. Iccirco huc etiam quadrat monitum illud *Tulpii, qui L. II. C. I. p. 103. Vita hæc vada*, inquit, *o medice, satius quippe est prudenter vitam prorogare, quam timide mortem maturare. Improvida namque sollicitudo est adeo sævitia, non lenitas, nedum securitas, sed speciosa temeritas. Secanda itaque vena cuicunque ætati ac sexui, maxime si constent vires, & auxilium hoc exposcat imperiose inevitabilis necessitas.*

§. XIV. Indicationem hujusmodi proponit Hipp. (1) *L. I. Præd. XXI. p. 484.* dicens: *Quæ larga, violenta, multa ex naribus fluxerunt, aliquando ad convulsiones adducunt, venæ sectio solvit.* Quomodo *Diemerbr. L. III. C. X. p. 238.* Hæmorrhagias in peste Noviomagensi admodum *periculosas & necessario quam citissime sistendas fuisse*, scribit. *Quando igitur, aliis frustra tentatis, in desperata re ad desperatum auxilium concurrisset, nempe ad venæ sectionem, per quam tamen neminem servatum vidisset.* Sicut hist. LXXX. simili exemplo probat. Verum hæc ipsi pestilenti febri, propter supremum malignitatis gradum, sunt singularia; ut in febribus reliquis, etiam malignis, sed minori gradu, cautela illa Hippocratis de vena secanda omnino locum habeat. Quanquam fatear, in febribus me nondum hanc indicationem adeo ursisse, ut ad hoc extremum auxilium mihi fuerit confugiendum; sed tum semper, & aliquoties, amuletum illud bufonis, ex collo suspensum, satisfecit, cujus *Willis. de febr. C. XV. p. 266.* fidem facit. Quantæ virtutis etiam *lapidem quendam rubri coloris*, fortasse *Jaspidem* fuisse, Diemerbr. l. c. asseverat.

§. XV. (2) Hipp. *Coac. III. 54. p. 533. Fluxiones*, inquit: *ex naribus largæ, per vim suppressæ, quandoque convulsiones provocant,*

venæ sectio solvit. Nam *secundum L. II. Epid. S I. 56. Vol. I. pag. 688. Sanguinis eruptiones largæ ex naribus plerunque liberant, velut Heragoræ, quod medici non animadverterunt.* Adeoque secundum antecedentem paragraphum scillam medicus vitet, sed ne secundum hunc in charybdin incidat; & cavendum est, ne in largioribus hæmorrhagiis, præsertim salutaribus citius ad auxilium venæ sectionis confugiatur, quo eædem supprimantur; quod æque secundum priorem aphorismum in peste quadã Gallica nocuisse, ex aliis scriptoribus Diemerbr. l. c. addit. Nihilominus quod si salutares hæmorrhagiæ, etiam largiores, imprudentia quadam asstantium, sicut in Heragoræ, fuerint suppressæ, omnino optimum erit auxilium, venæ sectione naturam imitari, & sanguinis profluxi defectum artificiali missione supplere. Eadem ratio est, si sangvinis nimia turgescentia caput obruit, v. g. ut ex arteriæ cujusdam ruptura & insanabili cruoris extravasatione apoplexiam minetur. Cujusmodi exemplum *Hipp. L. V. Epid. XXXI. Vol. I. p. 792.* de Phœnice quodam, *cui caput adeo intumnerat, hinc venæ sectio proderat* & *Tulp. L. I. C. XXXI. p. 262.* de alio adducit. Hujus classis etiam esse videtur illa integra constitutio epidemica, de qua *Riv. Pr. L. XVII. C. I. f. 547.* testatur, quod in eadem inimitabili ratione in febre maligna d. XI. cum parotidibus necessario fuerit vena secanda, alias ægri hujus prætermissionem morte indubitata luissent.

§. XVI. Quibus plures adhuc casus e. g. anginæ aut peripneumoniæ comitantium, & metu certæ suffocationis terrentium, accenseantur, in quibus etiam hoc auxilium, alias omittendum urgetur. Quomodo, *referente L. VI. Annal. Pr. f. 597.* An. 1699. mense decembri, secundum constitutionem illam epidemicam opificis cujusdam uxor hic Halæ ex horrore febricitabat, d. III. & IV. copiosus sanguis e naribus absque levamine profluxerat. Die V. circiter ego, demum rogatus, offendebam eandem 6. mens. gravidam, alvo 5. dies occlusa, petechiis jam apparentibus; caput atrociter dolere cœperat, oculi rubicundi lucem fugere, aures sonitus fatigare, quæ juxta suffo-

focationem angina intentabat. Mox igitur ex vena brachii sanguis ad uncias 4. mittebatur; quo auxilio tamen neq; criticus sudor turbabatur, neque vires pulsusq; debilitabantur, sed symptomata singula levabantur, neque petechiæ dispa- rebant. Quoniam vero dolor anginosus non penitus remiserat, nasutus balneator consilio suo d. VII. ex venis raninis adhuc sanguinis uncias ij. vel iij. miserat, sine nocumento, ut videbatur; nam exinde angina capitisque dolor adhuc magis remiserant. Alvo adhuc obstructa, petechiisque jam fere disparentibus, enemate alvus fuerat aperta, cumque alvus minorem copiam exonerasset, balneator iterato acrius enema injecerat; sed hinc d. X. abortierat lochiisque paucis purgabatur; vigilans brevia deliria, sed tristia, subinde miscebat, d. XX. alvus fæculenta copiosa dejecerat, & d. XXIV. perfecte judicabatur.

CAP. V.

Contraindicationes, V. S. intempestivam arguentes opponit.

§. 1.

Antecedenti capite tot indicationes sangvinis missionem, in phrenitide utilem necessariamque, probarunt, ut Hippocratem æmulationis insimulare videantur, quod pro more medicorum, Mnesimachum, æmulum forte suum, de hoc auxilio intempestivo in Halicarnassensi castigarit. Verum Hippocratem de hoc vitio purgat, quod alias etiam *de signif. vitæ & mortis V. 6. Vol. I. p. 425.* expresse hoc auxilium in phrenitide his reprobet: *Si luna fuerit in geminis, una cum Sole & M. arte, hæc erit acutissima ægritudo, lacrymabit ei oculus, pervenietque in phrenesin. Et apparent illi ante oculos diversa phantasmata & imagines horribiles, ejusque pulsus erit profundus, adeo ut fere non inveniatur & capite dolebit. Tum ergo vena non est illi secanda.* Librum hunc quasi apocryphum confirmat *L. V. Epid. S. II. 52. Vol. I. p. 693. Lycia,* cui *febris, adque humerum dolores* superveniebant, *vena in cubito secabatur & saliebat quidem sæpe; hinc*

vero spiritus duplicabatur, mente monebatur, contegebatur (propter corporis perfrigerationem) *mortua est.* Quamobrem *L. III. Epid. S. III. Aegr. XIII. XIV. XV. XVI. p. 739.* in, expresse ipsi nominatis, phreniticis auxilium hoc omisit, quam rectissime.

§. II. Venæ sectionem etiam, non ut vulgus sibi persvadet, phrenitidem semper & necessario præcavere, sed sæpius eidem lethali ansam dare, plurimæ demonstrant observationes. *in Bon. An. Pr. f. 6. 48. 166. 160. 169. 170. 173. 264. 506. 1445. 1446. 1460. 1468. Will. de an. Brut. P. II. C. II. p. 285. 286. River. Obs. Comm. II. fol. 669.* Quibus meam quoque subjungo experientiam; *referente L. IV. Annal. f. 156.* Adolescentis 18. ann. aures sonitus fatigaverat, IV. die is delirare cœperat, sanguis ex cubito dextro unc. 4. mittebatur; cum diei V. levamine; delirio autem d. VI. repetente, sanguis ex sinistro pede iterum mittebatur, sed id æque noctu fatigarat, superveniebant sudores frigidi, profluvium urinæ involuntarium, subsultus musculorum, in soporoso potus cum strepitu descendebat; quanquam bubone parvo ingvinali d. XIV. difficulter erumpente, & d. XXI. sudoribus magis judicabatur. ibid. f. 167. Portitor, quadragenarius circiter, febre oppressus, sangvinem primo e mediana, hinc ex raninis miserat, d. X. (ut *cum Hipp. L. I. Præd. IV. 10. p. 473. loquar*) *voce destituebatur, verum sentiens*, hac aphonia sine ratione critica soluta, d. XIV. XV. XVI. furebat, quanquam deinde reconvaluerit & adhuc vivat. *Refer. L. III. Ann. f. 199.* mense Augusti Anno 1679. Equarius, quadratus & crassi corporis, ex tractu acuto, pleuropneumonia laborare cœperat, hinc delirio superveniente d. XI. sanguinem ex brachio miserat, d. XII. injecto enemate, rigor vehemens cum perfrigeratione furorem & d. XIII. mortem ferebat. *ref. L. IV. f. 718. Anno 1694.* Naumburg. opifex Latinus, scil. Germanus caussidicus, febris principia sentiens, venæ sectione purganteque usus fuerat, d. III. circiter larga hæmorrhagia caput allevaverat, d. V. petechiæ erumpebant, quibus d. V. ob denudationem recurrentibus, cum sudore frigido delirabat, brevique moriebatur. ib. *f. 485.* mense Febr. 1695. Junior advocatus ex horrore febricitans, anxium se jactabat, d. V. sangvinem

gvinem miserat, d. VII. cum perfrigeratione delirare cœperat, d. VIII. totus frigidus furebat, d. IX. obibat. *refer. L. IX. Annal. f. 505.* Anno 1702. mense Augusto, juveni aurifabro Halensi alvus fluxa fuerat, hinc febrem horror junxerat, medici Galli consilio, sangvinem copiosum prius ex brachii, deinde pedis, vena miserat, sed hinc cum perfrigeratione deliranti, d. VIII. aut IX. mors superveniebat.

§. III. E contrario, *refer. L. II. Ann. Pr. f. 503.* Anno 1678. mense octobri artis pharmaceuticæ discipulus, 20. circiter ann. per febrem cum alvi fluxu dies multos delirabat, & tamen, omissa V. S. reconvalescebat. *Refer. L. VI. Annal. fol. 304.* Anno 1699. mense Junio servus equarius in febre petechiali ferociter delirabat, omissa V. S. reconvalescebat. *Ref. L. X. Annal. f. 334. Anno 1704.* opifex juvenis pleuriticus, jam d. IV. & V. noctu admodum ab insomniis turbulentis delirisque fatigatus fuerat, omissa V. S. brevi reconvalescebat. *ref. L. XI. Annal. Pr. fol. 157.* Anno 1705. mense Aprili J. U. Licentiatus Halensis 30. circiter annorum, ex horrore febricitabat, capite quoque dolente, cum lachrymis involuntariis oculi lucem fugiebant. d. III. & IV. noctu somnum insomnia delira turbaverant, calor erat tenuis, pulsusque debilis, ac dolor, quasi punctorius ab aciculis, digitos tantum alterius manus exercebat, in quibus etiam solis d. VII. purpura, juxta crisin sudoris laudabilem, apparebat, quomodo, prætermissa venæ sectione, reconvalescebat.

§. IV. Quamobrem probe notetur, quod in medicina auxiliis medicis suæ sint indicationes, sed etiam contraindicationes, quæ illa prohibeant, ut medicus has invicem sedulo conferat & expendat. Etenim *Hipp. de morb. virg. III. Vol. II. p. 337. Ceterum curatio,* inquit, *ut* ex hoc vel illo morbo *liberentur ægri, est sanguinis detractio, si nihil fuerit, quod impediat.* & *L. VI. Epid. S. III. 17. Vol. I. p. 806. Convenit quibusdam sanguinem detrahere tempestive in talibus. In aliis autem, velut in his, non convenit. Impedimentum tempus anni* &c. & exinde *ib. S. II. 10. p. 799.* bene ponderare jubet, *ne temere detrahatur sanguis.* Est igitur primum, in phrenitide venæ sectionem prohibens, Hippocrati febris, scilicet in

se spectata, sine plethora aut inflammatione junctis. Qua ratione *de Vict. acut. XXXVII. Vol. II. pag. 299. In aphonia epileptica*, laudat quidem eandem, *sed si sano illa fiat, absq; manifesta aut alia forti caussa;* qualis etiam febris habetur; *nam L. II. Epid. S. II. 21. Vol. I. p. 707. in aphonia venam secare non admittit, nisi sit ea sine febre. Item ib. 13. p. 706. In capitis læsionibus venas secare*, jubet, *si non æger febricitet.* Sic enim secundum *Coac. II. 183. p. 544. In febre acuta cum aphoniis perniciosissime habent, quibus sanguis ex naribus fluxit.*

§. V. Etenim hæmorrhagiæ, more singularum evacuationum criticarum, sæpe quidem sunt salutares, sed sæpius etiam symptomaticæ, certissimamque perniciem, & quidem æque in phrenitide, portendunt. Quomodo, docente *Hippocrate*, *Coac. III. 137. p. 542. Qui calores in febribus ad tactum non adurentes habent, phrenitici fiunt* & NB. *magis, si sanguis fluxerit, L. I. Præd. XVIII. 6. Vol. I. p. 483. Coac. III. 34. p. 552. Post sanguinis eruptionem nigrorum per alvum transitus malus est. Prava sunt etiam valde rubra. Num vero d. IV. hæc sanguinis eruptio contingit? Soporosi ex his convulsione moriuntur, num nigris prægressis & ventre tumefacto? L. II. Præd. XXII. 12. p. 504. optimum est neque febrire eum, qui ulcus* (ab externa læsione) *in capite habet, neque sangvinem insuper ipsi erupisse, nisi fiat in principio & modico tempore. Confer. L. I. Præd. XX. 3. p. 484. Coac. II. 55. pag. 538. I. 127. pag. 528. III. 39. 44. p. 552. VI. 50. p. 586. Quomodo L. III. Epid. S. II. Aegr. XII. p. 721. Puerpera in mendacium foro d. VII. frigidum sudorem per totum sudavit, parum mente mota est, d. XIV. sanguis effluxit per nares, mortua est. L. IV. Epid. X. 12. Vol. I. p. 749. Servus in extrema caupona sanguinem multum ex naribus effudit, multa statim nugabatur*, & sine dubio mortuus est. Confer etiam *L. III. Epid. S. I. Aegr. III. p. 714. In Dealcis horto decumbentem. L. IV. Epid. VIII. 8. p. 748. Adolescentem peregrinum. & L. VII. Epid. XV. p. 840. Theodori uxorem.*

§. VI. His equidem repugnat, quod ipse *Hipp. de vict. acut. XXXV. Vol. II. p. 298. in morbis acutis in genere* & in specie *in causis*, seu febribus ardentibus jubet *venam secare, si vehemens appareat morbus.* Verum si locus ille curatius legatur, relegaturque, facile

facile deprehendetur, fragmentum ibi latere & omissam esse particulam negativam, ut potius sensus sit hic: *in morbis acutis venam secalis, si* (velut ibid. XXXVI. 5. p. 299. legitur *non magnus*) *fuerit morbus & vehemens, & ipsum habentes in ætatis vigore fuerint, & aliquis alius ex pleuriticis* (seu inflammatoriis) *morbis jungatur;* videntur autem per morbi vehementiam symptomata, malignitatem significantia, ibidem intelligi. Quapropter notandum est, ut jam superius monetur, Hippocratem phrenitidem magis de ea de secundaria intelligere, quæ febri essentiali, & rarius quidem in principio, supervenit, simulque febris malignitatem, omnibus scriptoribus illud inculcantibus, significat, ac fere semper malæ judicationi & febrili motui minori debetur.

§. VII. Quæ vero cum grano salis accipiantur, ut quidem febris universa, per singula quatuor ejusdem tempora, sangvinis missionem prohibeat; attamen pro diverso gradu valeat; ita ut magis in augmento, maxime in statu, minus in declinatione, minime vero in principio, auxilii hujus solitis indicationibus febris se opponat. Etenim, *secundum Hipp. de vict. acut. XXXVIII. 2. Vol. II. p. 300. in epilepsiis & paraplegiis venam secare statim oportet ab initio, elevatis adhuc omnibus spiritibus affligentibus & fluxionibus; facilius enim tum auxilium admittunt, & refectis viribus & consideratis judicationibus. &c.* Quippe confer *S. II. aph. XXIX. Vol. I. p. 74. & L. I. de morb. X. 59. Vol. II. p. 13.* Hinc *de affect. II. 9. 16. 20. p. 163.* Propter *dolores* (morbosque) *capitis* prodest quidem, *si sanguis fuerit detractus; sed ægrotos considerare oportet, statim in constitutionis morborum principio, & qua re opus habeant, & quales sint; omisso autem principio, periculum est, ne magis delinquas, quam successum consequaris.* Optime igitur *Baglivus L. I. Prax. C. IX. S. II. p. 56. in febrium principio sangvinem mittere,* svadet; & *Willis. de an. brut. P. II. C. X. pag. 430. cum febris & phrenitis σύγχρονα sint, phlebotomiam non omitti vult, sed contra,* sicut idem C. IV. pag. 317. de comate docet; *Quod si morbus phreniticus affectibus aliis* (& in statu febrili) *superveniens, cuipiam, corpore jam plurimum attrito, sangvine vitiato aut valde depauperato, acciderit, de sangvi-*

nis missione serio ante deliberare, quin etiam ab iisdem utplurimum abstinere, oportet.

§. VIII. Quantumvis autem auxilium hoc in phrenitidum primariarum febribus secundariis & quasi symptomaticis magis, quam essentialibus secundariarum admittatur; attamen diverso quidem gradu, ceteris paribus, neque hæ posteriores venæ sectionem omnino prohibent. Quomodo *Loss. L. I. Obs. XXV. p. 70.* scribit, *cum sibi ipsi erysipelas post horrorem & delirium febrem* (pro morbi genio tum essentialem) attulisset & *caput in singula horæ momenta magis magisque intumuisset, sanguinis uncias 8. non sine insigni commodo suo se detraxisse.* Simili modo, *refer. L. VI. Annal. Pr. f. 595.* Anno 1699. mense decembri in epidemica constitutione, fere maligna, erysipelatis, cum illud Xenodochii Halensis famuli faciem caputque totum inflaret, oculisque periculum minaretur, venæ sectio, juxta sudorifera, maxime proderat. Idem C. III. §. V. de Camerarii Naumburgensis filia robusta & plethorica supra quoque recensetur.

§. IX. Quinimo subinde in febrium, paulo maligniorum, principiis caute, ceteris paribus, sanguinis missio locum habet. Quomodo in variolis & morbillis Mayerne, Riverius, Ballonius, Willisius, Diemerbroccius, Sydenhamius, eandem profuisse, sua experientia testantur. Quantumvis autem mihi nondum licuerit, proprium facere hujus rei experimentum; itinerarium tamen meum medicum loquitur, anno 1674. Noribergæ D. Christianum Halbach, ejusdem Reipublicæ Physicum ordinarium & practicum celeberrimum, mihi fidem fecisse, se tum in virgine aulica Marchionis Brandenburg. Onolsbachensis, ibidem commorata, venam secandam curasse, quasi ea synocho simplici laborasset; nihilominus hinc variolas æque facile erupisse, ac feliciter superatas fuisse. Ut adeo neque nostrum clima Transalpinum & septentrionale hoc auxilio in iisdem penitus interdicat; magis tamen illud in principio, quam in statu, admitterem, multo minus tam iteratum, nisi fortassis propter suffocationem anginæ aut peripneumoniæ urgeatur; cujusmodi casus notabiles proponit *Mayerne de variolis p. 603.*

§. X.

§. X. Haud aliud de febribus petechialibus moneo, quantumvis cum medicis Gallis, Morello, *Diemerbr. de peste L. III. C. X. Annat. I. p. 239.* venæ sectionem, & eam quidem ter quaterve repetitam, in febribus illis *primarium remedium*, *verumque alexipharmacum asserere* nolim; utut *Bened. Sylvat. C. I. Consf. XIV. in Bon. An. Pr. f. 1501. his experientiam suam jungat.* Sed potius hic Halæ in epidemica illarum constitutione, Anni 1700. rarissime, neque pluries in principio, sanguinem misi. Nihilominus ejusdem exceptionem recenset *L. VI. Annal. Pract. f. 374.* Anno 1699. de Halensis cujusdam opificis uxore, & ea quidem mensem circiter quintum gravida, 30. ann. cujus parentem tum febris illa epidemica jugulaverat, ejusdemque domesticos omnes gravissime afflixerat. Huic IV. jam morbi, sed I. accessus mei, die tempora pulsabant, alterum colli latus totum dolebat, sed facies succiplena rubebat, aliaque habitum crassum plethoricumque significabant. Quapropter eidem mox ex vena brachii unciæ quatuor sanguinis mittebantur, qui floridus saliebat, neque post meridiem pelliculam quasi pleuriticam, sed magnam seri copiam exhibebat. Unde capitis dolor eodem die acerbitatem suam remittebat, licet sequentibus subinde, capite non tam erecto, quam reclivi, repeteret; die VII. parva deliria miscebantur; die IX. eruperant petechiæ, d. XIV. sudore perfecte judicabatur, & mense decembri, novi lunio tamen solstitioque, atque præcedentis diei quadrato Martis & Mercurii, maturum edebat fœtum, quem filium meum spiritalem, adhuc alacrem, DEus clementissime porro sospitet.

§. XI. Objiciat autem quis Italus Gallusve, vano metu Germanos ad hoc præstantissimũ auxilium, etiam in augmentis statibusque febrium acutarum, trepidare, cum vel ipse *Hipp. L. III. Epid. S. III. Aegr. VIII. Vol. I. p. 735.* Anaxionis, pleuritici sui, *die VIII.* certe in statu, *venam secuerit & sanguis multus effluxerit, velut debuerit*; unde non solum delirium cessaverit, sed etiam dolor lateris se remiserit. Quamobrem *Forestus L. XVI. Obs.* XIII. septentrionalis tamen Batavus, Anaxionis hoc

exemplum, imitationis caussa, ob oculos ponit, hortans medicos, ut *etiam tardius, & post IV. diem, ad pleuriticos vocati, sanguinem ipsis mittant.* Quid, quod ipse, supra C. IV. §. IV. simile pleuritici exemplum attuli, cui vena VII. die secta majorem, quam Anaxioni, euphoriam afferebat. Quæ res non solum Italos, Gallosve, sed etiam Batavos Anglosque permovit, ut pleuritides, solis, aliquoties repetis, sanguinis missionibus, & quidem feliciter, ut loquuntur eorundem observationes, curaverint. Quomodo *River. C. III. Obser. XXXIX. f. 621. puerulo 5. annorum pleuritico quatuor phlebotomias. Tulp. L. II. C. II. p. 105. octo puerperæ* celebravit; imo Diemerbr. ut supra eundem citavi, in febribus petechialibus ter quaterve in uno ægroto, cum ipsius salute sanguinem se misisse, testatur.

§. XII. Verum, ut prætermittam hic illud Hippocratis *Coac. III. 29. p. 555. Sanguinis detractiones acervatas lædere;* quod etiam de iteratis valet. Peccant equidem Germani defectu sed Galli magis excessu, quos neque climatis diversitas omnino excusat. Hippocrati certe hoc genus auxilii per status febriles, maxime repetitum, fuit insolitum, imo fere rarius in principio, ut ejusdem ægroti, Græci tamen neque Septentrionales Transalpini, testari videntur; cum propter ipsius judicium difficillimum subinde præter omnem opinionem lædat, & pleuritis etiam sine hoc remedio sæpe æque feliciter curetur, testante non Helmontio solum, sed etiam Hipp. *L. VII. Epid. XXI. 25. p. 847. Cleocho & ib. XXVII. p. 852. Pisistrato;* quibus propria exempla plura subjungere possem. Neq; in Anaxione tum febris, symptomatica tamen, quanto minus essentialis, quam potius inflammatio, multis indicationibus aliis, quas in capite antecedenti tetigi, stipata, ad sanguinis missionem induxerunt.

CAPUT VI.

Contraindicationes reliquas adjungit.

§. I.

SAnguinis missionem præterea (1) vires in sufficientes, ut in omni-

omnibus febribus, ita etiam phreniticis, validisſime prohibent. Hinc *Hipp. L.III. de morb. XI. Vol. II. p. 102.* vel in paracynanche, venæ ſectionis cauſa, *vires validas* requirit, quas *de ſteril. XXIV. 21. p. 641. ſufficientes & de vict. acut. LXII. 5. p. 318. virium robur* vocat. Quapropter etiam *Williſ. de an. br. P. II. C. X. p. 438. in phrenitide ſedulo cavendum eſſe monet, nedum crebriori ſanguinis miſſione morbum eradicare faceſſamus, functionem vitalem debilitemus.* Hippocrates autem cautelas illas ſuas virium non ſolum de illo ipſo venæ ſectionis die intelligit, ſed etiam monet, ut medicus prudenter, tanquam ex ſpecula, oculis ſuis prognoſticis, mox in febris principio proſpiciat, num virium, ſanguinisque robur futuro toti morbo ſufficere valeat, ne in principio etiam ſanguinis miſſio phrenitidem cavendi ergo, magis noceat, quam auxilietur. Cous enim *Prænot. I. 16. Vol. I. p. 448.* à medico efflagitat, *ut ex multo antea tempore ad ſingula conſilium adhibeat & ibid. XXVI. 6. p. 470. vires ſignorum inter ſe conferendo expendat; ſimul impetus morborum, ſemper populariter graſſantium, cito animadvertat, nec temporis conſtitutionem epidemicam ignoret.* Cujus judicii difficultatibus graviſſimis quam ſæpe vix exercitati practici ſatisfaciant & Gallorum Italorumque obſervationes & Germaniæ praxis quotidiana teſtatur.

§. II. (2) In phrenitide pars affecta, nimirum cerebrum, pondus quoddam venæ ſectionis contraindicantibus addit, cum, docente *Hipp. de princip. IV. 11. Vol. I. p. 114.* illud *ſedes & metropolis ſit frigidi ac glutinoſi, frigidum vero congelet.* Unde cerebrum affectum longe minus, quam alia viſcera, frigus externum innoxie ferunt, ſanguis ſtagnans ibi magis congelaſcit, facillimeque inflammationes gangrænefcunt, praxi quotidiana id comprobante. Quod ipſum *Ballon. L. III. Conſ. I.* urgens: *At noſſe debent*, inquit, *cerebrum natura eſſe frigidum & facile, vena ſecta, refrigeſcere.* Qua etiam ratione in illo Halicarnaſſenſi ſanguinis miſſio perfrigeratione nocuiſſet, & loco laudabilis ſuppurationis putredo excellens, gangræna ſcilicet, lethalem phrenitidem intuliſſet. Galenus quidem hoc auxilium in hoc ipſo morbo *primum omnium & maximum*, decantat, *quod*

quod plurimas indicationes expleat. Quibus præjudiciis etiam calculos suos addunt Sennertus, Riverius, Willis. Sydenhamius; eoque etiam fere *Baglivus L.I. Prax. C. VIII. §. III. p.29. C. IX. S.II. p.56. S. VI. p.68. inclinare videtur*, Sed ipse Galenus inculcat, *sanguinem haud esse detrahendum, si tantum in cerebro sit affectio, sanguinisq; nigrescat.* Adeoque ab aliorum viscerum inflammationibus, pleurititibus &c. argumentatio à majori ad minus, non à minori ad majus, formari debet.

§. III. Confirmant hæc observationes anatomicæ in Bon. *An. pr.* legendæ. Quomodo f. 1. *Mulier 20. annorum, aliquot annos capitis dolori* obnoxia vixit; gravida, eodem increscente, *à venæ sectione aliquid solatii quidem percepit; sed hinc fatali die mane vultum insolitus pallor obsedit, circa meridiem lipothymica concidit.* Post mortem, non obstante illa sanguinis missione, *duram matrem perreptantes, venæ, ultra modum dilatatæ, nigræ & varicosæ, minimi digiti crassitiem pene æquarunt, cerebriq; superficies admodum livida* (propter gangrænam) *apparuit.* Quantumvis autem vir πολυμαθέστατος potius phlebotomiam haud repetitam, ut mortis caussam, incuset, *atq; jugularium venarum apertione* fatum præcaveri potuisse, confidat; attamen, salva illius existimatione, pallor ille faciei cerebrique gangræna, haud eodem mihi collineare videntur; nisi fortassis longius antea & tempestive auxilium hoc tentatum fuisset. Haud absimilis est *Obs. II. f. 4.* de mercatore, in quo præter venarum hyperemeton membranæ liventes gangrænam quoque aperuerunt. Item Obs. III. f. 5. & IV. f. 6. ægrotis, in quibus capitis doloribus deliria jungebantur, sanguinis missionem infructuosam fuisse, testantur. f. 37. Obs. LXXIII. casus matronæ, propter capitis aurisque dolorem ex cerebri abscessu, est Halicarnassensis fere similis; in hac sanguis corruptissimus detractus ne minimum quidem levavit. Haud minus à læsionibus capitis in phrenitidibus primariis sine fructu subinde tardius venæ sectionem in usum vocari, comprobant exempla ibid. f. 1566. 1575. 1599. Idem quoque me studiosus docuit, cujus historiam supra C. III. §. VI. delineavi, hunc sanguinis missio, mox tamen in prin-

in principio, febris quidem, ſed non brevi à læſione, facta minime levabat, ut phrenitidem præcaviſſet.

§. IV. (3) Sanguinis misſionem, etiam in phrenitide, tempus anni prohibet, ſc. hyemale, *docente Hipp. L. VI. Epid. S.* III. 37. *Vol. I. p. 807.* ſecundum quod tamen alias *de vict. acut. LII. 8. Vol.* II. *p. 310. æque ac ſecundum corporis habitum, ætatem & colorem, vel in peripneumonicis & pleuriticis affectibus, ſanguinem plus & confidenter detrahere, is jubet.* Nam *L. I. de morb. XX. 3. Vol.* II. *p. 24. Differt tempus a tempore, in quo ægrotant & curatio a curatione.* Itaque, *monente S. VI. aph. XLVII. p. 101. S.* VII. *aph.* LIII. *p. 106. Quibuscunque ſanguinem de venis auferre conducit, his vere venam ſecare, convenit;* cum, *ſecundum S.* III. *aph. IX. Vol. I. p. 78.* in Græcia *ver* fuerit *ſaluberrimum & minus lethale.* Sicut autem idem Cous teſtatur *L.* III. *Epid. S.* III. *149. p. 728.* haud minus in Græcia *ver* in quadam conſtitutione *fuiſſe gravisſimum, & multos occidiſſe;* ita propter climatis etiam diverſitatem in ſeptentrionalibus noſtris regionibus aliam longe veris rationem habendam eſſe, certum eſt; adeo, ut fere id, maxime incipiens, hyemis potius referat naturam. Plures enim apud nos vere obſervantur illæ, quas *Hipp. S.* III. *aph. I. Vol. I. p. 77.* incuſat, *mutationes temporum magnæque caloris & frigoris, maxime in temporibus morbos parientes.* Ut ſecundum *aph.* VIII. *p. 78. in tam inconſtantibus temporibus morbi fiant inconſtantes, & qui difficulter judicantur.* Hinc in Germania noſtra, vere, præſertim ineunte, æque quidem vis dierum judicatoriorum & judicationum ipſarum obſervatur; ſed criſes evacuationum & transpoſitionum difficiliores minusque laudabiles frequentantur. Quapropter etiam in climate noſtro venæ ſectiones tum temporis nondum ſalutares habentur.

§. V. Quam ob rationem e contrario Hippocrates *in Halicarnaſſenſi* ſuo, tanquam rem maximi momenti, *hyemis* tempus atro carbone notat; utpote quo ſanguinis miſſio nocuiſſet, *caputque perfrigeraſſet.* Hoc modo *anginæ* illæ *L. VI. Epid. S. VII. 1. 43. Vol. I. p. 814. 816.* maxime malignæ cum febribus, in *quibus venæ ſectio nihil memorabile profuit, cœperunt circa*

ſolſti-

solstitia hyberna ex frequenti australium & aquilonarium ac nivosorum transmutatione. Ballonius igitur, Gallus tamen, *in Bon. An. Pr. f.1457.* secundum *Hipp. L.* III. *de morb. prudentiores medicos, haud ex vulgi opinione pendentes*, hortatur, ut *in pleuritidibus hyemalibus venæ sectionem magis omittant, in quibus eam frustra tentatam, sæpe vidisset.* Sic *Hipp. L.* VII. *Epid.* XVII. *Vol. I. pag. 843. Polemarchi uxori hyeme anginosæ vena secta est, circa V. d. dixit sibi videri aliquid* (ex sanguinis coagulatione) *circa cor colligi, circa d. IX. vox intercipiebatur, mortua est.* Contra *L. VII. Epid. XXVII. Vol. I. p. 852.* omisit sanguinis missionem *in Pisistrato, cui hyeme multus incidit lateris dolor* (pleuriticus) *& calor & tussis & exscreatio sanguinis spumosi & in faucibus stertebat;* nihilominus *circa IV. aut. V. diem sanus evasit.* Rectissime igitur *Baglivius de vesic. C.* III. *§. 1. p. 80. in pleuritidibus hyemalibus cruoris stagnationes & incipientes coagulationes solvere*, inculcat, quarum ergo sangvinis missiones alias maxime dissvadet. Quæ vi analogismi, in phrenitide, propter cerebrum affectum, multo magis valent, ut etiam ostendit observatio *viri* cujusdam *in Bon. An. Pr. f. 48.*

§. VI. Idem nobis natura ipsa criticis suis narium hæmorrhagiis comprobat. Hippocrates enim *L. I. Epid. S. II. 10. Vol. I. p. 665.* scribit de causis illius constitutionis, quod quidem *ante ver cœperint, sed usque ad æquinoctium* (fortassis solstitium) *æstatemque duraverint, & quicunqae vere ac æstate ægrotare cœperint, plurimi servati, pauci vero mortui fuerint. In quibus nullum novit mortuum, si recte ipsi sanguis profluxerit.* Contra ibid. *150. p. 666. Circa æquinoctium & sub hyemem causi comitati fuerunt, sed & plurimi tum phrenitici facti, per æstatem autem pauci. De quibus subjungit, eos multum delirasse, subfrigidis extremitatibus, neque sangvinem e naribus ulli erupisse, sed parum stillasse & VI. die cum sudore mortuos fuisse. Iterum 168. p. 697.* sine dubio in constitutione æstiva, ut sequentia declarant, *maxime servabantur, quibus probe sanguis ex naribus erupisset.* Sed *ib. 200. p. 669. sub hyemem, circa solstitium hybernum usque ad æquinoctium, cum febres illæ ardentes & phrenitides perseverassent, multi mortui ac indicationes* (illæ hæmorrhagiarum æstivarum) *transmutatæ sunt*, atque *ib. 210. p. 670.*

san-

sanguinis eruptiones cessarunt. Pariter *L.* III. *Epid. S.* III. *51. p. 724. In constitutione pestilenti cum erysipelatibus malignis ante ver cum crientibus frigoribus causi cœperunt, itemque phrenitides; quibus neque sanguis bene erumpebat, sed de naribus stillabat.* Sic *L. VII. Epid. XV. Vol. I. p. 840. Theodori uxori larga sanguinis eruptio facta est hyeme, nihilominus insaniebat, septimoque die moriebatur.*

§. VII. (4) Sanguinis missionem in phrenitide, ipsi admodū solennis, extremorum spontanea perfrigeratio prohibet, gravissime morbū exacerbans. Nam, *docente Hipp. Coac.* III. *61. p. 557. In perfrigeratione torpida sanguinis detractio mala est, & ib. 343. p. 570. In perfrigeratione non sine febre torpidos V. S. lædit.* Cujus moniti non tantum illa est virtus, ut, perfrigeratione præsente, auxilium hoc vitetur, sed etiam ut id in ipso febrium principio fugiatur, per signa si prognostica e. g. caloris tenuis, anxiæ jactationis, urinæ crudæ aquosæ, perfrigeratio, futura in statu, portendatur. Quamobrem exactissimum judicium practicum Hippocratis ostendit, signaque sine dubio plurima, V. S. indicantia, concurrerunt *L.* III. *Epid.* in *Anaxione* pleuritico, quod nulla perfrigeratio fuerit subsecuta, licet in eodem jam notæ prodant, hoc auxilium ipsi febri minus profuisse.

§. IIX. E contrario *L. VII. Epid. XXI. Vol. I. p, 846.* Cous in *Menone*, pariter pleuritico, *febrem quidem ægre ferente* prudenter venæ sectionem seposuit; quoniam *urinæ ab initio crudæ cineris speciem referebant*, id est, aquosæ erant, sicut etiam *extremæ partes & frons, leviter frigidæ permanentes*, intempestivum auxilium hoc arguissent; quantumvis *saltatio venarum circa tempora* seu pulsus arteriarum vibrans & quasi serratus *cum somnis soporosis*, à vasorum internorum obstructione, hyperemeton cerebri venarum proderet. Pari modo Hipp. sangvinis missionem consultius omisit *in L. I. Epid. S.* III. *Aegr.* II. *Vol. I. p. 674. Sileno* varioloso, cum tamen jam *die* III. more phreniticorum, *sermonibus multis, risibus cantibusq;* delirium suum satis aperte significaverit; sicut postea *frigidi sudores & extremitates frigidæ* confirmarunt. Cum autem *Sydenh. de morb. acut. in præf.* Hippocratem laudet, quod *morbi cujuslibet phænomena aperte tradiderit, nulla*

hypothesi adscita, & in partes per vim adacta; mirandum est, quod in simili casu perfrigerationem, quoniam hypothesi suæ haud apposite quadret, prorsus silentio transmittat, cum tamen eidem sine dubio competat, ut me observatio etiam variolosi principis *in Bon. An. f.1507.* confirmat. Sydenhamius Romulum hunc medicorum semper imitandum laudat; ipse tamen semper contrarius illi reclamat, experientiamque aliam testatur; quemadmodum etiam plane contra Hippocratem casu eodem in venæ sectione cum Boneto summam salutis fiduciam habet.

§. IX. Idem iterum natura criticis suis hæmorrhagiis docet; Nam, Hipp. inculcante *Coac.* II. *137. Vol.* I. *p. 542. Qui febres ad tactum non adurentes habent, phrenitici fiunt, & magis, si sanguis fluxerit. L. I. Præd.* XVIII. *5. p. 483. Coac.* III. *61. p. 553. Ex naribus erumpente sangvine cum exiguis sudoribus perfrigescentia maligna & prava. L. I. Pr. XIX. 5. p. 483. In judicatoriis perfrigerationibus sanguinis eruptiones fortes pessimæ sunt. XX. 3. p. 484. Quibus, ex sanguinis eruptione larga & frequenti, nigrorum multorum fit egestio, num hi multos frigidos sudores excludunt? frequenter hi aquosa mingunt. XXI. 11. p. 485. Ex sanguinis eruptione rigores longi supervenire solent. Coac.* III. *29. p. 552. Perfrigerationes ex sanguinis eruptionibus in diebus judicatoriis vehementes pessimæ sunt. Quomodo L.* III. *Epid. S.* II. *Aegr.* XII. *Vol. I. p. 721. Puerpera in mendacium foro d. VII. frigidum sudorem per totum sudavit, extrema frigida, parum mente mota est, d. XIV. sanguis per nares effluxit, mortua est. L.* VII. *Epid. XV.* p. *840. Theodori uxori larga sanguinis eruptio facta est, d. IV. delirium breve superveniebat, d. VI. ad meridiem valde delirabat, & perfrigeratio similis erat, insana præsentibus conviciabatur, post sudorem manus velut in glaciem congelatæ, exiliebat, vociferabatur, insaniebat, VII. die moriebatur.*

§. X. E contrario animadvertitur, quod in omnibus ejusdem ægrotis, in quibus, propter sufficiens cruoris & virium robur, hæmorrhagia non perniciosa fuerit, etiam perfrigeratio non supervenerit. Sic in critico monstro *virginis in Larissa*, ut vulgo habetur, *VI. tamen die*, tyranno in judicando, sanguis *per nares fluxit*, pessima certe significatione critica; quam vero solius diei reliqua laudabilium crisium signa emendabant & quidem

dem plura; nam ſanguis multus (1) large fluxit, (2) plures evacuationes concurrebant &c. ſecundum Hipp. *L. I. Epid. S.* II. *170.* p. *667.* ideoque nihilominus euphoria perfrigerationem avertebat. Confer alias *L. I. Epid. S.* III. *Aegr. VI. p 678. Cleonactidem. Aegr.* VII. p. *679. Metonem. L.* III. *Epid. S.* III. *Aegr.* VII. *p. 734. Virginem in Abderis.* Quapropter, velut jam in *T.* VII. *Hal. Obſ.* III. §. *XIV.* p. *81.* declaravi, perfrigeratio, in febris fine ſuperveniens, venam, in principio etiam ſectam, præſumtione mala intempeſtivi uſus onerare videtur. Multo vero magis hoc ſymptoma inſequens redarguit eos, qui venæ ſectionem ideo mortem haud avertiſſe prætendunt, quod ea non aliquoties iterata fuerit, & ad uncias ſaltem, non libras, ſangvinem profuderit; ſicut *Bon. in An. Pr. f. 467. & Hercules Saxonia ibid. f. 299.* commendare videntur, item Botall. CVII. Sydenham. de morb. acut. pag. 136. Quam ob cauſam Anno 1704. menſe Octobr. *refer. L. X. Ann. Pr. f. 831.* ſanguinis miſſionem magis omittebam in conjuge mercatoris, alias epilepſiæ obnoxia, quæ cum extremis frigidis, imo toto corpore, pulſuque debili, atrociſſime furere cœperat, & tamen intra paucos dies, magis veſicante nuhæ impoſito, ſanitati priſtinæ reſtituebatur.

§. XI. (5) Sangvinis miſſionem in phrenitide prohibet jam prægreſſa cruoris largiſſima profuſio, e. g. à vulnere, præſertim ſi jam deſierit, & quando pulſus debilis, calor tenuis cũ febre, aut penitus perfrigeratio, jungantur. Quomodo *Wepf. de apopl. p. 210. uxorem juvenem*, antea quidem, *plethoricam & ſucciplenam*, neglecta *V. S.* aliis potius auxiliis, feliciter tamen, curavit; cum deinde, ob creberrimas & largiores narium hæmorrhagias, cachecticam factam, ſubito hemiplegia oppreſſiſſet. Quo exemplo, *refer. LXI. Annal. Pr. f. 333.* a. c. menſe Januar. auxilium hoc in legato militari omittere cogebar, alias quidem plethorico craſſoque, cum ingentem cruoris copiam ultra libras duas ex duobus profudiſſet vulneribus, quorum alterum frontis cæſim factum etiam cranium parum læſerat; alterum vero, pectoris punctim inflictum, juxta mammam ſiniſtram incipiens, ſub cute longo ductu ad latus uſque umbilici, deſcen-

ſcendebat; unde toti perfrigerato pulſus carpi deficiebat, modo plane mirabili, viribus quidem nondum penitus proſtratis. Quantumvis autem conſtitueram, auxilium ſanguinis miſſionis tantum ad aliquot dies differre; attamen neque tum purpura illud admittebat, præſertim cum rubedo recurrens puſtulas miliares albas relinqueret. Eqidem & capitis vulnus illud poſcere videbatur & pectoris. Hoc etenim, non quidem in cavitates thoracis aut abdominis penetrabat, attamen propter lumborum dolorem, reſpirationem & decubitum difficilem, quaſi in pleuritide, omnino ſuſpectum erat; illud vero vulnus frontis d. V. dolores pungitivi admodum exacerbabant. Præterea juxta ſonitus aurium, oculis conniventibus, mox ab inſomniis horrendis expaveſcebat, artus etiam ſubſultus eorundem ſpaſmodici per ſomnum exercebant. Nihilominus, diaphoreticis & ſedativis mineralibus adhibitis, d. XI. perturbatio critica cum perfrigeratione in ſudorem largum calidum deſinebat, quo judicatus reconvaluit.

CAP. VII.

Venæ ſectionis in phrenitide nocendi rationem expendit.

§. I.

Haud alienum jam à noſtro erit negotio, ipſam nocendi rationem expendere, qua miſſio ſanguinis, ſicut in omnibus febribus, ita præſertim in phrenitide, ſæpius ægros lædit. Hippocrates eandem ſuggerit, *de vet. med. XXX. 8. Vol. I. p. 31.* docens, *homines non propter calidum ſimpliciter febricitare, neq; hoc eſſe ſimpliciter afflictionis cauſſam.* Sed, *ſecundum L. I. de morb.* XXII. *22. Vol. II. p. 27. ſanguinem in febribus concaleſcere, quod vim coagulationis, à ſibi illatam rigore, depellere & rurſus ad ſuam naturam redire* conetur. Scilicet, ut ad mentem *Helmontii de febr. C. I. II. p. 741.* quaſi ejusdem ſimiolus, *Sydenhamius de morb. acutis S. I. C. IV. p. 45.* exponit, *febris ejusq; calor eſt naturæ inſtrumentum, quo partes impuras à puris ſecernit;* quæ aliis verbis, ſed eodem

ſenſu

sensu, comprobat & fusius declarat *Will. de febr. C.IX. p.165.* Hinc, monente *Helmontio, ib. C.XII.8. p.773.* verissime *lethales ac maxime malignæ febres vix calent.* Ex talibus igitur *febribus, ad tactum non adurentibus,* Hipp. *Coac. II.137. p.542. maxime phreniticos evadere docet, magisq; si sanguis fluxerit,* confirmante *L.III. Epid. S.III. Aegr. XV.11. p. 741.* Sic *Lælius à Fonte in Bon. An, Pr. f. 1456.* describit in constitutione quadam epidemica pleuritidum malignarum, *calorem non admodum magnum nec insigniter mordacem fuisse, cum siti tamen magna, thoracis gravitate levique dolore, d.IV. aut V. deliros obiisse.* Adeoque, ut *Sydenh. l.c. p.31.* fatetur, in quibus *febribus sanguis in se imbecillior existit,* nec robur suum calore solito edere valet, ut *jam plus satis debilis, à phlebotomia despumationi suæ obeundæ prorsus impar redditur, unde totius massæ perversionem & putredinem deterrimam* (seu gangrænosam coagulationem) *ipsius ægroti mors* sequitur, sicut illam in plurimis, jam demortuis, signa livida satis aperire consveverunt.

§. II. Ob oculos ipsos hæc apertissime ponit Coiteri observatio in *Bon. An. Pr. f.1582. legenda.* Secundum quam cuidam, *vehementer in capite percusso, post trepanationem & hinc rursus,* aliquot dies interpositos, *venæ sectionem febres* (seu potius febriles calores) *remiserunt, & omnia symptomata mitiora facta sunt,* sed sine critica ratione ac cum pessima significatione. Hinc) *nunquam vulnus Coitero placuit, quoniam ejusdem labia tenuia, squalida, depressa, flaccida, neq; vividi coloris absq; inflammatione apparuerunt,* & sic gangrænam proximam portenderunt. *Die igitur XIX. singultus, capitis ingens dolor, inquietudo, delirium, rigor frequens absq; calore comitante,* oppresserunt, *sequenti die omnia remiserunt,* (sicut in gangræna solet) quæ etiam in demortui *capite dimidiam cerebri partem occupasse,* fuit deprehensa. Sic in anginosa illa gravida cũ febre petechiali, cujus mentio facta fuit C. IV. §.XVI. cũ balneator præter urgentem necessitatem, me inconsulto, denuo d. VII. sanguinem ex venis raninis misisset, respiratio quidem adhuc liberior facta fuerat, sed ulcus hinc haud laudabiliter suppurabat & malignitatem sibi asciscebat. Nam d. X. sine acuto dolore sputum cruoris congrumati nigricans (quale Hipp. *Co-*

ac. III. 215. p. 563. ut admodum perniciosum, damnat) proximam putredinem gangrænosam minabatur, cui etiam d. XI. sudor, frigidus & brevia deliria, subinde sermonibus admixta, respondebant; quanquam, præter interna resolventia, gargarisatione spiritus vini mortis laqueos effugiebat.

§. III. Etenim calor inflammatorius tumorum, sicut febrilis, stricte non morbosus dici potest, cum motus sit naturæ laudabilis &, robustæ adhuc, naturæ opus; ipso igitur deficiente, perniciosa gangræna & fatalis sanguinis coagulatio portenditur. Quamobrem secundum Hippocr. *S. V. aph. LXVI. Vol. I. p. 97. in vulneribus fortibus ac pravis tumor* (inflammatorius) *non apparens, magnum malum.* Nam, teste *Berengario in Bonet. An. Pr. f. 582. vulneris labiorum depressio, malusq; color sine sanie indubitatam arguit mortem,* scilicet propter gangrænam. Eandem enim significat tumor inflammationis aut erysipelatis quivis, cum remissione doloris, præter rationem subsidens; haud minus eandem quoque denot atartuum tumor in variolis, recursum, etiam adhuc tantum minantibus; quando utplurimum eæ livescere incipiunt, aut jam nigrescunt. E contrario tumorem inflammatorium naturæ potius robori deberi, declarat observatio nobilis cujusdam *in Bon. An. Pr. f. 1685.* legenda. In cujus *digito, à vipera demorso,* quamdiu malignitas prædominabatur, nullus plane tumor apparebat, licet gangræna jam imminens mortis periculum minaretur; qui vero postridie demum, symptomatibus illis maximam partem desinentibus, & illa devicta, emersit, ad totum brachium propagatus, dolore & rubore inflammatorio manifestissimo id comitante.

§. IV. Qua ratione Hipp. *Coac. III. 342. Vol. I. p. 570. Dolores juxta latus,* ait, *tenuiter consistentes in febribus citra notas* (scilicet criticas) *venæ sectio lædit & hi, se putantes melius habere, moriuntur.* Id est, quando pleuritica inflammatio ob proximam gangrænam dolores fere deponit, eandem venæ sectio magis adhuc auget, licet gravissima læsio suspectam euphoriam mentiatur. Nam verissime *Bagliv. L. I. Pr. C. IX. S. I.* p. 53. *& C. XIII. §. 1.* p. 113. monet, *inflammatarum partium dolore cessante, si febris*

bris (seu febrilis, non tam calor, quam dysphoria) *perseveret; cum pulsu parvo intermittente, frequenti, sudore frigido, malum esse. Aeger enim,* addit, *post duodecim horas delirabit, & paulo post indubie morietur, cum inflammationem jam in gangranam terminasse, arguat. Hoc Hippocratis monitum ter in Xenodochio verum observavi.* Quod etiam mihi aliquoties in pleuriticis, sine quavis ratione critica, suspectæ euphoriæ comprobasse videntur; ex quibus intra paucas horas ægri præter omnem opinionem obibant. Quorum rationem vix aliam invenire licet, nisi quod inflammatio, in gangrænam abiens, dolores solitos exuat, hinc respiratio liberior, decubitus etiam in latus facilior euphoriam adeo suspectam subinde mentitur.

§. V. Dolorem in pleuriticis dicto modo sæpius ex sanguinis missione intempestiva disparere, inculcat Ballonius, *in Bon. An. Pr. f. 516. Quando dolor,* ait, *in pleuritide secta vena disparet, an ideo securos de morbo esse oportet? nequaquam. Nam multos statim peripneumonicos evasisse, vidimus, ingens erat sitis, incendii* (imo & gangrænæ) *in pulmone nota, tussis non erat, nisi aliquando.* Quomodo *secundum Riv. C. I. Obs. LX. f. 574.* pleuriticam quandam *venæ sectio, iterata, semper levavit, sed tandem in subito mortua,* gangræna post mortem in cadaveris testiculo fuit detecta; quæ fortassis etiam in pulmonibus & mediastino latuit, cum *hoc plenum fuerit sero sanguineo, illorum universa substantia referta materia purulenta & gravitate insigni prædita. In Bon. An. Pr. f. 506. 1445. recensetur, quadragenario pleuritico, sanguine ad duo vascula detracto, non cessasse dolorem, d. VI. sanguine putri & corrupto iterum detracto; d. VII. a sudore leni tantum in capite, cum inquietudine, nihilo melius habuisse, successisse deliria; post mortem pulmones corruptos* (à gangræna) *nigricasse.* Hipp. *L. VII. Epid. XVII. Vol. I. pag. 842. Polemarchi uxori, hyeme anginosæ, vena secta, cessavit strangulatio, circa VI. diem circa cor dixit, sibi videri aliquit colligi, mortua est. Will. de febr. C. XI. p. 193.* vero testatur, *cum pleuritici, doloribus evanescentibus, de gravamine ac pondere, circa cordis regionem defixo, questi fuissent, post mortem in eorundem cordibus sanguinem, in frustula & glomeres oblongos concretum, se vidisse.*

§. VI. Quan-

§. VI. Quantumvis autem *Hildanus de gangr. C. XII. f. 783.* *ne inflammatio in gengrænam transiisset, venæ sectionem profuisse*, exemplo probet; attamen auxilium hoc in omni gangræna, adhuc metuenda, nondumque perfecta cum febribus, haud innocuum esse, corroborant pleuritides, peripneumoniæ, anginæque epidemicæ & pestilentes, malignitatem suam gangrænosæ putredini unice debentes. In quibus omnibus sanguinis missio, utut in his morbis alias, ut certissimum fere remedium, a metu suffocationis urgetur, propter excellentem hanc putredinem semper evidentissime nocuit. Quod *River. Pr. L. XVII. C. I. fol. 539.* confirmat, dum, *quarum febrium natura*, inquit, *in una propemodum malignitate consistit, secta vena, magis perniciosæ fiunt. Hoc apparet in vera peste, in qua multorum & probatissimorum autorum experientia omnes ægri, quibus secta fuit vena, e medio sunt sublati. Ita ut etiam in pleuritide pestilenti sanguinis missionem insignem noxam tulisse, morbique sævitiam intendisse, affirment; imo in aliis morbis epidemicis minoris malignitatis eventus idem est animadversus. Sic Wierus in catarrho epidemico* (anginæ malignæ) *qui anno 1564. per totam Europam pervagatus est, tradit, ex eodem fere omnes evasisse, ita ut vix millesimus quisque mortuus fuerit; omnes tamen, quibus vena secta fuisset, periisse.*

§. VII. Ejusmodi anginas malignas describit Hipp. *L. VI. Epid. S. VII. 43. Vol. I. p. 816.* de quibus tradit, *venæ sectionem nihil memorabile profuisse, licet etiam quibusdam venam sub lingua secuerit.* Ejusmodi malignas & pestilentes pleuritides *in Bon. An. Pr. f. 515.* Fontanus & Ballonius, graphice depingunt; in quibus post mortem *pulmonum vomicæ livescentes* (quasi lividæ ac gangrænosæ) *fuerunt observatæ; in his venæ sectiones innumeris lethales fuerunt, licet, ea instituta, dolor aliquando cessasset.* Anginas similes *ibid. f. 380.* delineans Severinus, scribit, *in ægrorum, ex iisdem defunctorum, capitibus exectis repertos fuisse grumos sanguinis, lato schemate diffusos sub maximos sinus membranæ crassioris.* In quibus autem hæmorrhagias & venarum jugularium sectiones profuisse, laudat. Sed fortassis ex hac caussa, ut ipse subjungit, *qui jam a morbo liberi fuerunt reputati, quinimo*

post

post 30. & 40. dies jam morbi furoribus prærepti, præter omnem opinionem sunt extincti. Rectissime igitur *Bagliv. L. II. Pr. C. IV. §. I. p. 172.* monet, *in pleuritide maligna tutius sanguinis missionem omitti.* Cum igitur in phrenitide parem malignitatem & sanguinis statum symptomata signaque testentur, imo ea sæpius illas comitetur, quanto magis in hac, æque ac in illis, sanguinis missionem eadem gangræna nocere, analogismo valido colligetur.

§. VIII. Elucidantur hæc porro, quod inter alia, sanguinis missionem contraindicantia, frigus hyemale supra proponatur; cujus nocendi ratio pariter est, quod eodem gangrænæ facile inducantur. Quomodo *Bagliv. de vesic. C. II. p. 73.* scribit: *Anno 1692. Romæ & Bononiæ ulcera, a quacunq; demum caussa producta, imo & vulnera, alias levissima, gangrænasse. Quo autem anno, Italiæ more insveto, hyems frigidissima & copiosis nivibus ac gelu exasperata fuerit;* cujusmodi constitutiones plurimorum scriptorum observationes corroborant. *Ipsius Hipp. L. III. Epid. S. III. 14. 31. Vol. I. p. 722. Erysipelas, cum caussis seu febribus ardentibus phreniticis, ante ver, orientibus frigoribus, incipiens, putredine* sua gangrænosa *ossium denudationes ac elapsus* miseros inferebat. Sic refer. L. VI. Annal. Pr. f. 521. Anno 1699. virum pl. reverendum, cujus in disput. de crisi per abscessus mentio fit, erysipelas pedis vere pestilens & gangrænosum, perfrigido gelu circa solstitium hybernum sæviente perimebat. Eodem tempore aliquot sanis gangrænas manus aut digitos penitus corrupisse, memini. Hipp. *S. VIII. aph. III. Vol. I. p. 104. de Iud. X. 7. p. 445. Coac. VI. 89. p. 588. L. VI. Epid. S. II. 40. p. 800. Quartanas* (sæpius hyemales) *sanguinis eruptionem non solvere, sed in eadem malas esse* monet; gangrænæ metum, tanquam hujus malitiæ rationem *Tulp. L. IV. C. LIII. p. 365.* detegit, exemplo *adolescentis quartanarii, cui sanguinis detractio gangrænam tulerit lethalem.* Exemplum fere simile in fabro lignorum novi, cui, ob atrocem calorem vena secta, fauces jam putredo fœtida corrumpere cœperat, quanquam in tempore rursus avertebatur.

§. IX. Prima vero horum est caussa, quod venæ sectio, sangvine ad coagulationem inclinante, certissime noceat, rectissime inculcante *Baglivo L. I. Pr. C. IX. §. II. p. 57. C. XIV. §. IV. pag. 143*

Quæ tamen non de eadem particulari, qualis in hyperemetis venarum & inflammationibus habetur, simpliciter accipiantur; in qua sanguinis missio non omnino rejiciatur, sed sæpe laudem meretur; verum hæc de coagulatione universali, totius massæ sanguineæ vitio existente, intelligantur; sicut ex eodem Baglivo pro insigni usu practico jam supra animadvertitur ac distinguitur. Qua distinctione nodus solvitur objectionis à Salio & Rumlero, ex Hipp. de vict. acut. oppositæ, sc. auxilium hoc sanguinis missionis, etiam in vasis universaliter sanguine coagulato, e. g. lipothymia maxime esse salutare; cum e contrario nodum hunc longe difficilius implicet Galenus, hortans, *si sanguis nigrior ad coagulationem inclinet in toto corpore, ut audacius sanguis mitti debeat.* Quamobrem in hac, & in specie in ipsa Syncope a sanguinis coagulatione, Riolanus *in Bon. An. Pr. f. 679.* eo largiorem sanguinis missionem imperat, proterve timori nostro Germanorum illudens, illam tum timendum, cui etiam calculos suos addunt dictus *Salius. ibid. 683. & Rumlerus ibid. f. 1351.*

§. X. Verum enimvero Salius ipse sua convellit. Primum enim fatetur, *cruorem quomodocunq; alias e vena ejectum, non ita dure coalescere, sicut eidem contingat ab admistis copiosis humoribus pituitosis & melancholicis* (acidis,) *quos incusant dejectiones alvi nigræ*, secundum Hippocratem perniciosis hæmorrhagiis cum perfrigeratione jungi solitæ. Deinde idem animadvertit, quod *sanguine sic coagulato ægri a superveniente sanguinis profluvio non leventur, sed ab eo solo exanimentur.* Tandem ipse inculcat, ut *in hisce casibus sanguis mittatur, antequam omnia fixa fiant, & ut is salium volatilium usu prius fluxilis reddatur*; item *si sanguis in, affectis hoc pacto, corporibus detrahatur, is tam crassus sit, ut, etiam Galeno teste, vix effluat.* Quis autem ignorat a venæ sectione sæpius lipotymias opprimere, ac, nisi vena reclusa, magis magisque ingravescere. Denique Salius docet, *hos affectus cardialgia præsagiri, qua subito quasi cor ipsum constringatur, juxtim colorem vividum in pallidum mutari; & in his mortem non, nisi venæ sectione, præveniri.* Verum in *Bon. An. Pr. f. 787.* confirmat observatio *matronæ*, quod ipsi *ventriculi dolo-*

re, siti inexhausta, anxietudine ac animi defectionibus, afflictæ, *sanguinis eductio eadem die mali exacerbationem lethalem attulerit.* Contra *T. VII. Obs. Hal. III. p. 88.* Observationem pastoris Ecclesiæ sexagenarii proposui, qui ab ejusmodi apoplexia spuria, venæ sectione neglecta, longe felicius sanitati restituebatur. Quapropter rectius *River. Pr. L. XV. C. VI. f. 455. cum Varandæo & Sennerto* in similibus casibus venæ non secandæ caussa Mercato ac Roderico à Castro contradicit.

§. XI. Quantumvis etiam intempestiva sanguinis missio in febribus & phrenitide non semper excellenti putredinis gradu noceat ac semper fatali coagulatione jugulet; attamen ex hoc capite lædit, quod, secundum *Helmont. de febr. C. IV. 29. p. 752. ægri à venæ sectione debilitentur, plerunq; crisi destituantur, & si à morbo paulatim resurgant, multis anxietatibus valetudinarii convalescant, longa dierum serie & non sine metu recidivarum; quoniam hoc auxilium intentionaliter sudoribus criticis opponatur.* Quæ ipsa *Sydenh. de morb. acut. p. 45. & 35.* optime confirmat, reprehendens simul medicos, qui *has suas res male gestas, prætextu malignitatis aut scorbuti*, excusare satagant. Cujus rei veritatem evidentissime nobis ob oculos ponit Hipp. *Anaxion* pleuriticus, qui, propter *d. VIII. venæ sectionem*, die critico XI. tantum *parum circa caput sudavit*, d. XIV. & XVII. naturæ retrogrado motu, critici sudores omnino cessarunt, & vix d. XX. incipientes, demum XXXIV. perfecte judicarunt. Quæ pariter à narium hæmorrhagia, haud critica, in Dealcis horto decumbenti obtigerunt.

§. XII. Hæc Hippocratis declarat *obs. Willis. de febr. C. XV. p. 268.* legenda *de viro robusto & habitu corporis athletici, qui febrem in variolosam inciderat. Huic cum pseudochirurgus sanguinem ad sesquilibram detraxisset, is paulopost sudore frigido perfundi, viribus subito collapsis, rigore, pulsu debili, inæquali crebroq; lipothymia tentari cœpit; inde, febris difficillime redintegrata, per plures hebdomadas irregulari admodum motu exercuit, donec copioso sudore critico per totum suffusus, melius habere cœpit. Variolæ vero d. XX. demum sparsim erumpere, ac tandem parotide ingenti suppurata vix perfecte judicabatur, ut salutem integre recuperaret.* Haud secus in *Bon. An. Pr. f. 506. & 1445.* Qua-

dragenario in febre ardentissima cum lateris dolore sanguis putris & corruptus d. III. & VI. detractus fuerat, d. VII. sudorem tantum tenuem in capite & thorace experto, deliria nocturna supervenerant, d. IX. & XI. nihilo levata febre, sudavit, d. XIV. cum delirio perpetuo mortuus. f. 1468. Viduæ cum febre petechiali, calore non ita magno, sanguis bis missus plane putris, diebus judicibus natura nihil movit, sequebantur incendium majus, levia deliria, lacrymæ oculorum involuntariæ, d. XIV. cum sudore magno (& fortassis frigidiusculo) *cum nullus antea toto tempore apparuisset, deliria, risusq; se junxerunt, interiit.* Refer. L. IV. Annal. f. 716. Anno 1694. mense Augusto, in Studioso illo phrenitico, cujus supra mentio fit, ex capitis læsione, sanguis mox in principio febris fuerat missus, d. VII. IX. XIV. XVII. XX. & XXIV. sudores nulli apparebant, d. XXV. delirus moriebatur.

§. XIII. Quamobrem admodum caute cautelam illam medicus tentet, quam Baglivus *L. I. Pr. C. IX. S. II. p. 57. C. XIII. p. 120. L. II. C. IX. S. III. §. VIII. p. 226. inculcat,* scilicet *sudorem necess[...]um &, irritis quibusvis remediis, non erumpentem, statim erumpere, si sanguis mittatur.* Monitum illud veritati respondere, ut credam, ipso hoc mense me virgo plebeja, 24. ann. circiter, etiam confirmavit, cujus totum abdomen, maxime tamen hypochondrium dextrum ex tractu acuto seu corporis convulsione, tumor ingens & admodum dolens, durusque inflaverat. Huic jam fere, propter medicastri enormes errores, tres hebdomadas decumbenti & febricitanti, suffocatione urgente, sanguis primum ex mediana, & postridie ex saphena mittebatur, utroque die cum levamine & sudore, antea difficili, mox largissimo insequente. Exemplum simile supra jam quoque de Xenodochii Cizensis famulo proposui, cui post venæ sectionem d. VII. & pulsus resurgebat & sudor criticus large profluens, d. XI. perfectam judicationem ferebat. Sed hæc, quasi tantum extraordinaria, non ultra casus plethoræ, & in quibus propter eandem sudores critici retardantur, sunt extendenda. Nam alias omnino communiter à sangvinis missione crises, sudorum maxime, impediri, certum est; Rusticus quippe ille famulus plethoricus in splendido suo Xenodochio, neque famem neque sitim tolerabat,

quam

quam & vino & cerevisia Cizensi, crassa & generosa, explere satagebat, quæ res subinde Græci aut Itali climatis defectum in Germania nostra septentrionali supplet. Quamobrem etiam in hoc Germano crises longe felicius, quam in Anaxione Græco Hippocratis, perficiebantur.

§. XIV. Neque sanguinis missio crisin per abscessus, in se, juvat, quin potius eosdem, cum gravissima & certissima noxa, sæpe impedit, reprimitque; sicut vel ipsa podagra & erysipelas, quæ ad eosdem pertinere in disput. de crisi per abscessus declaravi, ostendunt: Nam *in Bon. Anat. Pr. f. 394.* legitur, *podagricum à venæ sectione semper deterius habuisse ac ultimum, sanguine corrupto ac vix tali dicendo, detracto eadem die exspirasse.* Idem *f. 440.* alia observatio comprobat. *Refer. L. VI. Annal. f. 312.* Anno 1699. mense Junio, in virgine, nationis Gallicæ, 20. circiter annorum macra pallidaque significabatur erysipelatis eruptio in facie, d. II. sanguis nigricans ex vena bracchii mittebatur, qui, deinde repositus, cruditatem suam fuscis maculis detegebat. Tumore hinc disparente, febris, pro illius constitutionis genio, gravia malignitatis signa, cum sudore continuo acido, fereque frigido, ferebat, præterque purpuram, erysipelate iterum d. XI. in manu altera erumpente, sudoribusque calidioribus d. XIV. perfecte judicabatur.

§. XV. Referente L. XI. Annal. f. 296. Anno 1605. mense Novembri, sartor juvenis succiplenus, uxoratus tamen, arthritico rheumatismo, partim vago, artuum omnium, cum febre ac sudore acido, affligebatur; tardius vocatus sanguinis missionem prioribus diebus svadere, non potueram; cum igitur propter brachii tumorem ex mediana non posset, ex dorsi manus vena cruor ad libram ß detrahebatur; qui deinde totus coagulatus, pellicula quasi pleuritica obducebatur. A quo auxilio primum quidem æger parum levabatur, sed paucos dies; sequentibus enim illud ipsum brachium longius & gravius multabatur, quam alterum, antea tamen magis vexatum; perfecta etiam judicatio diutius protrahebatur. Cum tamen mense Septembri Anno 1702. Ducis Saxo-Gothani præfectus

milita-

militaris, succiplenus & plethoricus, facie colorata, venæ sectione omissa, alias eadem plane methodo, à simili arthritide citius & d. XIV. perfecte judicatus, reconvalesceret. Sic auxilium hoc intempestivum variolarum eruptionem difficilem reddere, in præcedente paragrapho proposita, observatio Willisii probat; & quam bubonum in ipsa pestilentia eruptionem retrahat, *Diemerbr. de peste & Sydenham. de morb. acut. p. 142. 156.* corroborant.

§. XVI. Quamobrem medici prudentes non in statu solum febrili, delirio jam terrente; sed etiam in febris cujusvis principio, ejusdem præcavendi ergo, ad venæ sectionis auxilium non properent, illo fortassis animo, quod si non juvet id, neq; tamen noceat; sed antea secum singula serio & circumspecte deliberent. Singulorum igitur tam illud indicantium, quam prohibentium, vires & pondera, quasi statera, invicem conferantur & expendantur; neutra enim parte signi [illegible]ius tantum aliquis est valor; sed, velut in universa medicina, votorum quasi plurium concursus, ad significationis decisionem constituendam, semper requiritur. Tutius auxilium hoc omittatur, à pluribus nisi simul urgeatur, quam ut sine necessitate ad illud confugiatur. Certe, ullo si medicinæ loco, præsertim in phrenitide, venæ sectionis auxilio curanda, candidum illud Hippocratis monitum valet: *Differt corpus à corpore, & ætas ab ætate, & morbus a morbo, & annus ab anno, & tempus a tempore, & hinc curatio a curatione.* Proinde quisque medicus vel propter hæc solum certissimam veritatem Hippocratis aphorismi experitur: Scilicet *vita brevis, ars vero longa, occasio præceps, experimentum periculosum, judicium difficile. Neq; vero medicus solum se comparare debet, ut faciat, quod facto opus est, sed etiam ægri & adstantes; ne videlicet intempestiva sollicitudine, amici sane fideles, sed moleste seduli.* dum, ut cum C. Tacito loquar, *pavidi casuumq; morborum ignari, turbant medicos vel intempestive juvant, officia prudentium corrumpant.* Quomodo, sicut *Hippocrates de eleg.* eleganter loquitur, ægri, *ut medici valde reverenter DEO locum dent. Numen enim cuncta gubernans in medicina minime otiosum esse, medici animadvertunt in iis morbis, quos ipsi curare nituntur,*

Cui soli sit laus & Gloria!